




FR. A, CATTI
ISAGOGAE
ANATOMICAE
1557

















ISAGOGAE ANATOMICAE

Francisci Antonij Catti Lucani, Neapoli Chirurgiam & Anatomen Profitentis.



NEAPOLI.
Excudebat Raymundus Amatus.
M.D.LVII. Mense Decembri.

ILLVSTRISSIMO SIMVL AC STRENVISSIMO PRINCIPI VESPASIANO A GONZAGA MECENATI SVO AMPLISSIMO.

Franc: Antonius Cattus.

S.D.P.





VM In re Anatomica adipiscenda post summos labores ac diutinas uigilias aliquid iam profecisse uiderer. quæ tyronū gratia in ea re lucubraueram, in lucem ædere elapsis annis tentaui. emisi enim Anatomes Enchiridion, tumultuarie tamen conscriptum. in quo breuitati studens, humani corporis partium nomi

naea ſerie qua incidentibus occurrũt; deſcripſi. figuram, numerum, magnitudinem, connexus atq; uſus eos tantum adducebam, quos præcipuos exiſtimaram, reliquos interim temporis anguſtia præteriens. nonnullarum etiam partium exquiſitam tractationem uoles reliqui. Neq; hæc obſtitere, quin primus ille noſter conatus nõnullis placuerit. quod cum perceperim, uidens omnes quos prius impreſſeram ad unum uſq; uenditos, ac à pluribus anxie expeti, ne deinceps deeſſet, idem opus imprimendum curaui, multò tamen auctius ac abſolutius. eodem enim ſeruato ordine, partium uſus, connexiones ac figuras in alio prætermiſſas addidi. omni qua licuit diligentia, breuitati ſimul ac rei perſpicuitati ſtudens. Quod uerò ad ueritatem rei attinet, nulli ſum addictus, ſed talia omnia ſcripſi qualia se mihi cadauera ſecanti occurrerunt, in his uerò quæ ad partium actiones & uſus ſpectant, eum ſum ſequtus qui


ad ueritatē magis accedere uisus est. ī qbusdā ēt
meo usus iuditio noua aliquot protuli. quorū oīum
cōprobationem à doctis quibusq; expecto, qbus et
placitura esse spero, sin minus illi saltim corrige-
re dignabuntur. quod dum absit inuidia & male
uolentia, erit mihi gratissimum. Sed cum plerisqꝫ
accidisse uiderim ut eorum scripta, quamuis opti
ma ac utilia, à nugacibus nasutis, quorum palato
ne nectar quidem arridet, maledictis lacessita ac
dilaniata fuisse. hæc et ipse ueritus, sub tuo nomi
ne hoc meū prodire uolui, arbitratus nulli quam
sibi tutius committi posse. in te enim generis anti
qua ac illustris familiæ, progenies pellucet, cor-
poris strenuitas ac robur uiget, inuictus animus
splendet. Cui erga suos benignitas & familiari
tas tanta accessit, ut omnibus sis gratissimus si-
mul & obseruantissimus. ut uidentes in adole-
scente senilem autoritatem, prudentiam, ac consi
lij grauitatem, suspiciant, mirentur, & colere ac

uenerari cogantur. Quod autem magis in te miran-dum ac inter principes rarum est, literarum, philosophiæ, mathematices & astrologiæ studiũ. in quibus adeo profecisti, ut in singulis totam uitam consumpsisse uidearis. Quæ nunquam tempora adeo absolutum principem habuerunt? cuius maximas laudes si hac una tantum pagella scribere tentarem stultitiæ merito condemnarer. Accipe igitur princeps clarissime hilari fronte nostra hæc Anatomica, ac sub tui gloriosi nominis auspicijs prodire patiaris. ut tu quem ego saucium dum ad tiberis ostia armis fulminares, semel adiuui, perpetuo me meaq; omnia foueas. Vale.

FRANCISCI BALISTERII Siculi Zanclæi Ad lectores octastichon.

Nerui, ossa, & uenæ, quo sint ac ordine partes
Quæq; sitæ, & uires, quas sibi quæq; tenet.
Edocet hoc Catti, quod caute scripsit, opusq;
Sit licet hoc breuius, grandia dona feret.
Quicquid enim prisci inuenerunt dixit, & illi
Addidit ingenio multa reperta suo.
Paruo igitur prætio quis parceret? undiq; tantum
Vtilitatis opus quisq; emat, atq; legat.

PRAEFATIO HVMANI Corporis Compositionis rationem proponens.



VAMQVAM Humanum corpus à uiri ac Mulieris semine primam ducere originem creditur, hoc tamen nec ali nec augeri poterit nisi aliunde apta suppeditetur materies, à qua quod assidue innatus calor populatur, refici, & quod ad partes augendas deficit aliunde præstari possit. exemplo sint plantarum semina, hæc. n. quamdiu sicca alicubi seruantur, plantas ferre non possunt, at humenti solo cõmissa, & plantas ædere & ad maturitatem usq; ducere cernimus. cum habeant unde materiam ad hæc idoneam sumant. Nec ratiocinatrix ipsa anima, quam è cœlo oriundam, ideoq; hominem diuinitatis participem efficere autumamus, suis poterit fungi muneribus, nisi corpus ad hoc sibi datum, eiusdemq; partes, propriam seruent temperiem, ac constructionis rationem. Quibus igitur me-

dijs anima, dum in corpore est, sua perficiat munia, his in Isagogis describere conabor. Cum primũ quædam præfatus fuero, quæ ad alimenti distributionem, Innati caloris, uitaliumq; spirituum originem ac dispensationem, Animæq; functianes pertinere uidentur. Materia ex qua aluntur augenturq; partes omnes sanguis est, non quidem exquisitus, sed qui & pituitam, & utramq; bilem, flauam uidelicet et atram, habeat admistam. Degente adhuc in matris utero animali, Mater concoctum iam supeditat sanguinem, licet non exactè purum, cum in fœtus corpore à nonnullis excrementis depurgari cernamus. At ubi in lucem editũ est, ipsum sibi ipsi sanguinem conficit, materiam ab esculentis & his quæ bibuntur assumens. Horum maximam copiam natura largita est, ut ubiq; terrarum dum coli possint, cibos potusq; reperias. nec minorem Ars (ne dicam Ganeam aut Ingluuiem) inuenit, cum quædam insuauia penitus, insulsa ac esui ineptissima cõmmodissima adeo reddiderit, ut cum optimis quibusq; à natura datis contendere uideamus. Præter hanc præparationem, quibusdam, utpotè duris ac crassis, alia fit in ore dum dentibus atterimus, ac molimus, quò facilius diglutiantur ac in uentriculum recepta conficiantur. Ciborum autem assumptionem præcedit cor undem desiderium. Famem hoc appellant. Est au=


tem Fames sensus quidam suctionis in ore uentriculi, indigentiam indicans. Indigentiam autem hanc, unam tantum partem pro uniuerso corpore sentire sat fuit. cum iam nouerit rerum opifex. Ventriculum, uelut promptuarium quoddam futurum esse, in quo assumpta omnia non reponenda modo, sed & concoquenda essent. Ne autem uentriculus quæuis sine delectu assumeret, Gustus ei præpositus est, qui idonea alimenta ab ineptis discernere ualeat. Viget autem is in palato ac lingua. Quæ itaq; gustui arridet Stomachus trahit amplexatur ac retinet, quæ uerò auersatur, respuit ac ueluti inutilia reijcit. Cum primum itaq; uentriculus assumpta concoxit, ijs fruitur, & tandem tanquam superuacanea per inferius orificium ad intestina gracilia propellit. Scatent autem intestina hæc innumeris uenarum osculis, ac propaginibus (Venas Meseraicas uocant) quæ id omne ad se trahunt quod in sanguinem uerti aptum est, hæ enim proportione plantarum radicibus respondent, per quas alimentum à terra trahunt. Cum autem innumeræ uenæ illæ sint sensim ut exiguæ arborum radices, ad inuicem uniuntur donec in unum caudicem abeunt, qui in cauam iecoris partem insertus Vena porte dicitur. hac media manuum instar, Iecur alimentum ad se trahit. reliqua uerò cibi potusq; portio crassa, terrea, ac ad alendum


inepta, ad inferna ac crassiora intestina propulsa, tanquam inutilia, per podicem tandem excernitur. Quod autem ad iecur per uenam portæ ferebatur, dum à cauis iecoris & uenæ portæ ramis, per insensiles meatus qui in corpore iecoris sunt, ad cauæ uenæ ramos contendit, à duplici adhuc excremento liberatur, crasso uidelicet & tenui, crasso quidem ad lienem delegato, & inde per uenulas quasdam ad os uentriculi. Appellant autem huiusmodi excrementum atram Bilem. Tenue autem per peculiares meatus ad uessicam fellis, & inde ad duodenum intestinum uacuatur, appellantque Flauam Bilem. Abutitur autē excrementis his Natura, cum crassum ad os uentriculi delatum, sui acciditate appetentiam iuuare credatur, tenue uerò fecum per intestina transitum accelerat. Sanguis tamen hac ratione confectus ac purior redditus, ad cauam uenam properat, nondum tamen exactè sincerus, habet enim adhuc secum haud exiguam serosæ humiditatis portionem, cuius ope tenuior dilutiorque redditur, ut per iecoris corpus, quamuis densum facile permeare possit, ac deinceps ad extremos usque uenarum ramulos per uniuersum corpus duci. Serosæ huius humiditatis nonnihil una cum sanguine, trahunt ad se renes, per emulgantes dictas uenas & arterias, ibique relicto sanguine ut renes alat, per ipsorum corpus uelut per

colata, per ureteres poros ad uessicam delegatur. inde ubi aut quantitate grauat, aut acrimonia stimulat excernitur. uocant autem huiusmodi excremenium Vrinam. Reliquum uerò serosæ humiditatis una cum sanguine per uniuersum corpus delatum, tandem aut in sudorem abit, aut imperceptibiliter in halitum digeritur. Sanguis autem cum ad uenarum extrema peruenit, exciditq; ab eis ad spatia ratione cõtemplabilia, partibus apponitur. inde adherescit, ibiq; contracta mora ijsdem assimilatur, ut deinceps alere possit. Vena caua à gibba iecoris parte enascitur, cuius insignis portio per septum transuersum ad thoracem ascendens, in dextrum cordis sinum aperta se inserit, sincerioȇ tenuemq; sanguinem cordi porrigens. Sanguinis huius portio per cordis septum transcolata, ac magis elaborata, ad sinistrum cordis uentriculum fertur. hic unà cum inspirato aere uitalium spirituum & innati caloris materia censetur, atq; à corde per uniuersum corpus medijs arterijs delegatur, à quo singulæ partes uitam caloremq; assumunt. Ad caput item arteriarum uenarumq; insignes portiones feruntur, atq; ut uenæ sanguinem pro alimento deferunt, ita & Arteriæ uitales spiritus & calorem impertiunt. quo aptum efficiatur ratiocinatricis Animæ domicilium. Anima autem ipsa actiones habet, Principes, Sensificas, & M-

trices. Principes quidem in ipso cerebro efficiuutur. Dum enim cogitamus, Imaginamur, aut Memoramus nullo alio indigemus instrumento, At uerò sensus & arbitrarios motus medijs neruis perficimus, à cerebro & spinali medulla ortis. Instrumenta sensuuum peculiaria nerui sunt, necnon & motus arbituarij, hunc tamen soli ipsi ob tenuitatem perficere nequeunt, ob idq; Musculi effabricati sunt, qui innoxie grauem partium molem pro animalis arbitrio mouere possent. Musculi ferè omnes ossibus alligati sunt, Ossa autem uniuersi corporis & singularum partium pondus substentare apta sunt. Hæc item cum multiplicia fuisse expedierit, ualidis nexibus inter se colligata sunt, quod ligamenta præstant, ne in ualidis motibus dearticulentur. Nec satis fuit ipsi rerum opifici tria iam dicta statuisse principia. Iecur uidelicet sanguificationis locum uenarumq; initium, Cor uitalium spirituum & innati caloris fomitem, Cerebrum Animæ ratiocinatricis sedem, & neruorum principium, sed & alio indiguit ad spetiei præseruationem. hoc autem perficiunt testes, qui per peculiaria uasa à neruis & arterijs sanguinem & spiritus trahentes, in semen immutant. hoc mares commodo ad id fabricato instrumento emittunt. atq; iaculantur, fœminæ aptissima potiuntur cauea, quæ proprium & maris semen ad se allicere, fœ-

tumq; ad partum usq; commode detinere potest. Ex
tanta itaq; operum uarietate. Colligere licebit nostri
opificis diligentiam, qui ut omnia rite atq; ut decet per
fici possent, ex pluribus ijsq; uarijs partibus animalis
corpus extruxit, quarum aliquæ ad uitam necessariæ
sunt, quædam ut principibus ipsis deseruire ac famu
lari possent, aliæ item ut animal commodius uiueret, et
ad generis instaurationem aliæ. quo etiam fit ut prin-
cipales partes uirtutes habeant insitas, ac proprias,
quas alijs etiam impertiunt, in quibus ducuntur aduen
titiæ. Hæ insuper partes in triplici sunt differentia,
nanq; aliquæ primæ, simplices, & similares dicuntur.
quæ ex corporis elementis constant. aliæ compositæ et
organicæ, quæ ex similaribus compositæ sunt. quem
admodum ex organicis uniuersum corpus. Sunt autem
similares partes quæ nullam habent uarietatem sen-
su perceptibilem, ac (ut unico uerbo dicam) quorum
quælibet particula est idem quod totum, ut quælibet os
sis pars est os, & nerui neruus, quemadmodum &
cartilaginis, ligamenti, membranæ, & reliquorum, or
ganicæ autem quæ ex his componuntur, qualis est mu
sculus, uentriculus, intestina, uessica & alia, & ex
organicis compositæ ut pes manus caput. Hæc au
tem omnia à quibus partibus perficiantur nunc dice-
re aggrediar.





EXTERNARVM HVMANI corporis partium, quæ citra dissectionem uideri possunt, nominum explicatio.

Cap. I.

VMANVM Corpus quadripartito primum diuidemus, deinde externarum partium nomina, à capite exorsi, explicabimus, quo internarum partium, quæ citra sectionem conspici nequeunt, explicationem fœlicius assequamur. Quatuor itaq; uniuersum corpus partes constituunt. Caput, Thorax, Venter Imus, & Artus. Caput dicitur quicquid supra ceruicem est, uniuersas faciei partes, atq; eas quæ capillis integuntur, continens, capitis pars summa Vertex dicitur, a quo, uersus posteriora, usq; ad ceruicis initium Occiput, seu Occipitium, uersus anteriora autem Sinciput, utrinq; ad sincipitis latera, supraq; aures, Tempora nuncupãtur. à Sincipite ad mentũ usq; Facies, cuius pars superior Frons est, sub frõte Supercilia, pilis munita, horum intercapedo Glabella, dicitur. sub supercilijs Genæ, membraneæ quedam partes utrinq; oculos integentes, binis tamen quilibet

oculus gaudet, superna uidelicet & inferna. Supernæ Cilia appellãtur, ĩfernæ ꝓprio nomine destitutæ sunt. Genarum pars extrema, in cartilaginem degenerans, qua pili infixi sunt, Tarsi, pili autẽ ipsi Palpebræ dicuntur. Genæ ipsæ, qua inuicem cõmittuntur duos constituunt angulos, quorum qui iuxta nasum est, Maior Angulus, qui uero ad tempora, Minor appellantur. in maiori Angulo oculus caruncula exornatur. Externarum oculi partium quod candidum apparet, Adnatæ membranæ pars est, quam Coniunctiuam uocant, quod uerò nigrum, cæruleumue, aut uarium, Cornea est tunica, in eius centro uelut punctus apparens Pupilla dicitur, quæ uueæ tunicæ foramẽ est. Circulus corneam ambiens, & ab adnata diuidens Iris et corona, appellantur. Post oculos Aures sitæ sunt, cartilagineæ quædam partes, in quarum imo Auditorius meatus conspicitur. Infernæ faciei partes ad nasi latera prominentes Malæ sunt, quæ quibusdã genæ appellãtur. Quod inter malas & Nasum conspicitur, Cõcauũ quibusdam, licet alijs uniuersa oculorum sedes à supercilijs ad Malas hoc nomine donetur. Inter dictas cauitates situs est Nasus, cuius duo foramina, dextrum scilicet & sinistrum, Nares, harum ima extremaq; corpuscula Alæ, seu pinnæ dicuntur. Corpus quod Nares inte

riacet,narium septum.sub Naribus Labia sunt, superius & inferius. Fouea iu medio superioris labij, sub Narium septo insculpta Philtron nominatur. Pili in philtro & circa ipsum utrinq; adnati. Mystaces appellantur,cum Mistax etiam uniuersum Labrum superius dicatur. Hiscentibus labijs uniuersa conspicua cauitas,Os appellatur.Continentur in ore primum ossea quædam corpora,duplici disposita ordine, quibus cibos secamus,confringimus,ac ueluti molis atterimus, Dentes appellata:Sunt autem dentes magna ex parte numero duo & triginta,quorum octo anteriores Incisorij,& Primores,quatuor qui hos sequntur Canini,reliqui omnes Molares dicuntur. Molarium quatuor postremi,qui post pubertatem oriri consueuerunt, græcis Sophronistires,propterea quod dum ij oriuntur,homines sapere incipiant,nobis Genuini appellati sunt. Molares itaq; non ut reliqui acuti ac oblongi,sed magni,lati,& asperi extiterunt.quo commodius cibos molendi munere fungi possent. Ossa quibus dentes infixi sunt Maxillæ dicuntur,superior & inferior. Caro dentes ambiens Gingiuæ dictæ sunt. Continetur & in ore carnea mollis,ad quamlibet partem pro hominis arbitrio mobilis moles,quæ Lingua dicitur,et sub ea eiusdem Ligamentum,regio quam ambiunt maxillæ supe

rioris dentes, palatum est, in cuius fine interiori pendula quædam caruncula conspicitur, quæ Gargareon, et Gurgulio, a quibusdã (licet falso) Vula, Vuea, Vua, & Columella dicitur. Post gurgulionem Fauces sitæ sunt, quibus utrinq; glãdosa quædam corpora adiacẽt, quæ Tonsillæ seu Amigdalæ appellantur. Faciei partes quæ clauso ore, ac retento flatu intumescunt, Buccæ sunt. Inferioris maxillæ regio exterior inferiorq;, nec non humiliores buccarum partes, in uiris pilis exornantur, quos Barbam appellamus. Inferioris maxillæ extremum Mentum est.

Thorax superiori quidem parte Collo, inferiori cartilaginosa costarum extremitate terminatur, colli posterior pars Ceruix, anterior Gula dicitur. gulæ inferiori pars Iugulum, superior Guttur est. In Thoracis superiore, ac posteriori parte Scapulæ sitæ sunt, anterior Thoracis pars uniuersa, Pectus. in superiori pectoris parte Claues, & Clauiculæ. Sub hys carneæ moles utrinq; una, Mammæ dicuntur, exigue in uiris, in mulieribus, autem, iuuenibus præcipue, ac lactantibus, maiores. harum pars media extans nigricansq; Papilla dicitur. thoracis partes ab alis ad extremam costam recte descendentes, Latera sunt.

Imus uenter superiori parte spuriarum costaru

extremitate, inferiori uero ossibus Pubis, Iliorum &, Sacro, terminatur. Anterior uniuersa, imi uentris pars Epigastrion, & Abdomen dicitur, Huius partes quæ spuriarum costarum extremis adiacent Hyppocōdria, & a nonnullis Præcordia nuncupantur, dextrum uide licet & sinistrum, sub quibus Ilia sunt. Cauitas Ilia et hyppochondria complectens Colago dicenda erit. Vētris pars media Vmbilicus, sub umbilico Sumen, sub sumine Aqualiculus, Infra uero pubes, & pecten, a quo hinc & inde Inguina. Pili in his locis Pubes celso dicuntur. posterior uentris pars, ueluti etiam thoracis, Dorsum, & Tergum dicitur, quibus etiam nominibus donatur, uniuersa posterior corporis pars, a ceruice ad podicem. Viri pudendum Priapus, Penis, & Coles, appellatur, huius extremus cuspis Glans, pellis glandem tegens Preputium, sub pene pendens ac testes integens cutis Scrotum, & Scortum, linea a pene per testes ad Anum uniuersa Sutura dicitur, huius pars a testibus ad anū exporrecta, Taurus, & Perineos est. Foramē per quod Ventrem exoneramus Anus, & Podex. Mulieris pudendum Sinus Muliebris dicitur, Inter fœmineum. Cunnus, & quibusdam Vulua, hanc exornant hinc & inde cuticulares quædam partes quæ Alæ & Colles uocantur. in anteriori parte uulue carunc=

la pendens Nimpha appellatur. Reticula uenis contexta quæ in stupris uiolatur, & sanguinem fundit, Hymeneus est.

Extremis partibus quas artus appellamus numeratur Manus, uniuersum uidelicet quod ab humeri articulo ad ungues usq; continetur. Humeri autem articuli prominentior pars Summus Humerus dicitur. Cauitas sub articulo Humeri Ala, & Axilla. Diuiditur autem manus uniuersa in Humerum, Cubitum seu Vlnam, & Extremam seu Summam manum, ab humeri articulo ad cubitum Humerus & Brachium, pars humerum sequens Vlna, seu Cubitus, Articulus inter humerum & cubitum Cubiti Articulus, huius posterior pars Giberus dicitur. Post cubitum est Extrema Manus, cuius pars quæ cubitum sequitur Carpus, seu Brachiale appellatur. Articulus hanc partem cubito iūgens Carpi Articulus dicitur, a carpo ad digitos usq; Meta carpion, seu Postbrachiale appellatur, Digiti reliqui sunt, in qualibet manu quinq;. Horum maior Pollex dicitur, qui hunc sequitur Index, ab indice Medius, Impudicus, & Infamis appellatur, post hunc quartus Anularis, ac Medicus, postremus Minimus, & Auricularis. spatia inter digitorum articulos Internodia appellantur. Digitorum extrema, exteriori regio-

ne,latis ac duris laminis muniuntur,quas Vngues appellant,extremæ autem manus interna regio Vola dicitur & Palma.

Pedes & ipsi inter artus numerantur, quorum quilibet diuiditur in Femur, Tibiam,& extremum pedem: ab iliorum ossibus Femora inchoant,quæ & Coxæ, in quorum initio,parte posteriori, carnosæ moles sunt,quæ Nates et Clunes dicũtur,homini detæ cui et sedere soli datum est, femorum pars quæ cum coxendicis osse articulatur,uere Coxa dicitur,partes externæ & anteriores Femora,internæ uero & posteriores Femina,inferior femoris pars qua Tibiæ articulatur Genu,in cuius parte anteriori Rotula est, quæ & Mola,posterior genu pars Poples dicitur. Hinc Tibia inchoat,crus etiam dicta quæ parte sui inferiore cum extremo pede articulatur, Huius Posterior carnea moles Sura appellatur. Iuxta pedis articulum partes osseæ interna & externa parte prominentes Malleoli dicantur,in quolibet crure duo,externus uidelicet, et internus. Nec desunt qui huiusmodi partes clauiculas, & Talos perperam appellent. Extremi pedis posterior pars cui innitimur Calx,& Calcaneus nuncupatur. pars pedis inferior,qua dum gradimur terram attingimus Planta dicitur,huius interna pars Concauum,

superior pedis sedes ab ossibus nōīe sortitur, regio, quæ anteriori Tibiæ parti inhæret Tarsus dicitur. Quod hoc sequitur Pedion, seu Planum, reliqui Digiti sunt, numero & nominibus his qui in manu sunt respondentes, quorum extremis ungues etiam inseruntur.

QVAEDAM AD EXACTAM ossium dignotionem necessaria

Cap. 2.



GGRESSVRVS Humani corporis Anatomen, Ossa primum explicāda esse censui, quod & Gal. suasit, & reliqui anatomen recte docere instituentes sedulo exequi curarunt. Cum sint ossa ad uniuersam corporis molem sustentandam fabricata, in quibus omnia adnascuntur, appenduntur q; præstant autem in corpore eundem usum, quē infixi pali in tentorijs, & in ædibus parietes. Ossium cognitio itaq; reliquorum tractationem præcedere debet, tanq; sint totius rei anatomicæ fundamenta ac elementa quædam. Sunt itaq; ossa humani corporis partes durissimæ, ac aridissimæ, ut cōmode substentandi munus obire possent. incipiemus autem ab enarratione Nominum quarumdam ipsorum partium, inde constructionis ad inuicem ra-

tionem, postea singulorum tractationem exequar.

Ossium partes sunt Epiphysis, hoc est Adnata appendix, Apophysis, i. Explanatio, seu Processus, Corone quibusdam Cornix, Caput, Ceruix, Acetabulum. Glene. Supercilium, & Spina. Est autem Epiphysis, seu Adnata appendix ossium pars, quæ a iuniorum animalium ossibus decoctis facile segregatur, in adulterum etiam ossibus diutius in subterraneis & humidis locis seruatis, subinde etiam segregatas uidimus. Appendices ossibus ideo datas crediderim, quod constructionis ratio exposcebat, non autem medullæ seruādæ gratia. cum ea ad medullam usq; non accedat, & ossa quædam medullam habeant, appendicibus tamen careant, ut maxilla inferior. Et ex his quædam in altero tantum extremorum appendice donantur, ut Tibia, & humerus, nonnulla item ossa appendicibus prædita sunt, ī quibus medulla non seruatur. ut Vertebræ, infantium, ac dentes, & aliū ossa. Constructionis igitur uariatio exposcebat ut ossa appendicibus donarentur, cū uideamus in abortiuis et Iunioribus aīalibus, lata fere oīa ossa, et quæ processibus abundāt ex uarijs cōstare particulis, quæ tamē in adultis adeo coaluerunt, ut unū esse penitus uideātur. huiusmodi sunt os Frontis, Ilium, et Vertebræ. Infantiū autē dentibus appendices

datæ sunt,ut qui in primo ortu,exigui erant decidant, & qui postea,crescunt magnitudine respondeant maxillarum longitudini. Processus quem græci apophysim dicunt;est pars totius ossis quam Excessum, Explanationem, & Additamentum, & Extantiam appellare licet. dicitur autem processus,quæcunq; ossis pars reliquam aut rectitudinem,aut planam superficiem excedit. in horum quorumdam extremitate Appendices etiam adnascuntur, & pro figurarum uarietate uaria etiam sortiuntur nomina, si quidem in crassius & orbiculatum desierit Caput erit,tenuis autem pars capiti subiecta Ceruix,in tenue autem & mucronatū Corone seu Cornix,uelut quæ in latum rectum& oblongū desinunt Spina,ut in scapula,& iliorum ossibus. Ossium capita in aliorum cauitates excipiuntur,quarū quæ altior est Cotile seu Acetabulū, quæ uero leniter caua atq; uix perceptibilis Glene,quasi ocularem dixeris. Circa has cauitates eminentes partes Labra,et Supercilia dicuntur. Horum omnium processuū usus sunt,ad comodam ossium articulationem,ac commissuram, uel ad aliarum partium insertionem,aut exortum,aut tutelam. Labrorum autem & superciliorum usus est,ne ossa à suis sedibus facile dimoueantur,horum in super nonnulli peculiari donantur nomine, ut Mammillaris,

coracoides, stiloides, & alij, de quibus in singulorum ossium ennarratione agemus.

Construuntur autem ossa ad inuicem Arliculo, aut Simphysi, est autem Articulus naturalis ossium compositio. Simphysis naturalis ossium unio, ac coalitus. Quæ autem per Articulum componuntur aut motum habent, aut nullo motu prædita sunt. at motus aut euidens erit, & dicetur Diarthrosis, quasi dearticulatio. aut obscurus & dicetur Synarthrosis. i. coarticulatio. Diarthrosis tres habet differentias, nempè Enarthrosim Arthrodiam, & Ginglimon. est autem Enarthrosis cum cauum, excipiens est admodum altum, & caput ingrediens oblongum, ut in ischij articulo. Arthrodia cum cauum excipiens non est admodum altum, & caput ingrediens depressum, ut Femoris cum Tibia articulatio. Ginglimos cum ossa se inuicem ingredientia articulantur, ut Cubitus cũ Humero. Synarthrosis item easdem habet differentias, Enarthrosim uidelicet in osse tali cum scaphoide, Arthrodiam, tarsi ossa inter se, Ginglimon, os Tali cum calce. Articuli species in qua nullus adest motus tres adhuc habet differentias, nempe Suturam, Gonphosim, & Harmoniam, Sutura dicitur ad consutarum rerum similitudinem, hanc & serratam compagem, & ad unguem cõmissuram


alij appellant, dicitur autem sutura, quotiescunq; multæ sunt simul & exiguæ ossium extantiæ, mutuo congressu coaptantur, uti caluariæ ossa ad inuicem. Gomphosis est cum instar claui os ossi infigitur, ut dentes in maxillis. Harmonia est compositio per simplicem lineam, ut quædam superioris maxillæ ossa. Symphisis autem, quam naturalem ossium unionem esse diximus, duplici constat ratione, aut enim nullo interueniente ossa ad inuicem uniuntur, ut inferioris maxillæ ossa, & Epyphises cũ suis ossibus ĩ adultis. Vel aliqua interueniente substantia, quam omnino duram esse expedit, quæ enim mollia interueniunt, nec ueram efficiunt unionem, nec ossa immobilia seruare possunt, ut Symphisim constituant. sola itaq; cartilago interueniens id efficere poterit, ut ostendunt epiphyses cum suis ossibus in iunioribus, dicetur autem Hæc simphysis species Synchondrosis. Synneurosin uerò quæ est unio media neruo, & syssarcosis quæ fit media carne ob interuenientium mollitiem, a symphisis speciebus reijciendas esse censemus, eos insuper audiendos non esse, qui dicunt, Dentes cum maxillis Synneurosin, Symphisis speciem constituere, cum medio ligamento uniantur, & cum nullum penitus habeant motum, nam(uel Gale. teste) ad hoc ut symphisis appellari possit connata

ad inuicem esse opportet, quod autem dentes cum suis alueolis connati non sint liquido patet. (inquit ipse) cum uel eruuntur, aut sua sponte decidunt. Multò insuper magis aberrare uidentur statuentes Syssarcosin dici quoties carnosæ musculorum partes ossium commissuras circundant, cum caro ibi non sit intermedia, sed circundet potius ipsa ossa.

Hæc de ossium partibus, & cõstructionis ratione, ad singulorum itaq; ossiũ enarrationẽ accedamus.



TABELLA NOSTRAM OSsium constructionis diuisionem ob oculos proponens.



DE OSSIBVS CAPITIS ET Maxillarum Cap. 3.



HVMANI Corporis nudorum ossium inuicem cohærentium structura Sceletos, quasi resiccatum corpus dicitur. Capitis os (ut & hinc aggrediar) uniuersum Cranios, Calua, & Caluaria appellatur, huius naturalis figura ad oblongæ sphæræ similitudinem structa est, cuius laterales partes depressæ sint, anterior uero ac posterior promineant. Constat autem ex pluribus ossibus, quorū quod anteriore in parte situm est, os Frontis, quod in postere Occipitis, quæ inter hæc, sita sunt. Sincipitis ossa nūcupantur, sicut quæ utrinq; ad tempora, ossa temporū dicuntur, Circumscribuntur hæc omnia suturis, quarū quæ ab uno tempore per sinciput ad aliud tempus pertingit, ac frontis os a sincipitis ossibus diuidit. Coronalis appellatur, uel ꝙ coronæ ea, potissimum capitis parte gestari soleant, uel. (ut Rupho placet) ab orbiculari figura qua coronā æmulatur. Altera occipitis os ab ossibus sincipitis diuidens, quæ cum labdæ grece litteræ figuram repræsentet, Labdoides dicitur. Tertia à media coronalis regione per capitis longitudinem stra

ur, ad mediam labdoidem, Sincipitis ossa ab inuicem segregans, Sagittalis appellatur. Hæc in quibusdam caluarijs, per mediam frontem ad nasi usq; principiũ protenditur, Tres eæ suturæ H. uel. (ut Meletio placet). K litteram imitantur, atq; ad hunc modum se habent, in naturali capitis figura, quæ si uitiata sit, suturarum etiam numerus & situs uitiatur, ut recte cum Hyppocrate dicere possimus. Hominum capita nihil inter se similia esse.

Sunt & aliæ duæ suturæ à Sagittali equidistantes. Harum initium est, à finibus labdoidis suturæ, indeq; uersus anteriora procedentes supra auditorium meatum, semicirculorum instar, ad coronalis fines ferũtur, eæ, a similitudine lepidoides, & squamosæ appellantur, quæ temporum ossa, à sincipitis ossibus diuidunt. Suturarum usus multiplex est, cum per eas alligetur crassa membrana, caluariæ, & pericraniæ, & diuidant craneum in plura ossa, transitum præbeant non nullis uasis, & per eas fuliginosa cerebri excrementa, exalent. Per suturas non autem per Harmonias caluariæ ossa commisti decuit, quo ualidius ac firmius cõnexa, difficulter separari possent. His itaq; suturis sex, sex iam dicta, capitis ossa termin͂tur, quæ situ, figura, & crassitie admodum euariant, siquidem occipitis

os, me-

os media eius posteriori regione crassissimum esse ossa sincipitis tenuissima, os frontis inter hæc medium existit. In osse frontis, inter supercilia, insignis cauitas reperiri solet, in qua aerem detineri atq; olfactui maxime conducere existimatur. in osse occipitis prægrande foramen conspicitur, per quod spinalis medulla egreditur. in huius foraminis lateribus duo sunt processus, per quos caput cum prima uertebra articulatur. In ossibus Temporum sunt meatus auditorij, & post ipsos mammillares processus, qui caui sunt, & aerem continent, & ideo auditum iuuare creduntur. sunt in ijsdem ossibus Stiloides processus, & posterior pars ossium iugalium. Inter capitis etiam ossa numerandum est os Sphenoides, seu Cunei formæ cum eius interna superficies crassæ cerebri membranæ sicuti reliquorum caluæ ossium, adnectatur, sic autem dictum, est quod sit medium inter reliqua capitis & maxillæ superioris ossa, hoc in basi capitis situm est, ideo Basillare à quibusdam appellatur. huius pars interior excauatam, habet foueam, in qua glandula continetur, quæ infundibulum excipit. Sub hac cauitate est os ipsum crassissimum inter omnia capitis ossa, non tamen solidũ sed, uel duas habet insignes cauitates tenui lamina distinctas, aut spongiosa quadam substantia oppletur

huius etiam oſſis partes ſolidæ, ac tenues ad tempora feruntur, duos inſuper habet proceſſus in parte inferna, ad poſtremorum dentium ſedem exporrectos, cauitates alis ſimiles habentes, ac propterea Pterigoides à græcis dictas. Inter capitis etiam oſſa cenſendum eſt os, quod proprijs finibus circumſcriptum, multis foraminibus ad nares peruium, & à quo etiam narium ſeptum originem ducit. appellatur autem ob ſimilitudinē Ethmoides & Cribri forme. huius foraminum uſus eſt, ut odorum ſpecies ad proprium inſtrumentum accedere ualeant, & pituita ac reliqua cerebrum infeſtātia, per nares expurgari poſſint.

Maxillæ ſuperioris oſſa duodecim numerantur, duo. n. ſunt oſſa narium. tria in cuiuſlibet oculi ſede, Duo quæ malas efformant, omnium dentium alueolos continent, & anteriores partes oſſium iugalium porrigunt, & fere inferiores oculorum ambitus efformant. Duo in poſtrema palati regione, ad narium foramina, quæ ad palatum tendunt. Inferioris maxillæ oſſa duo ſunt, connata ad menti regionem. horum quodlibet in parte ſuperiori in duos deſinit proceſſus, quorum unus & quidem anterior in acutum ceſſat, in ipſumq; inſeritur tendo muſculi temporalis. alter in craſſiuſculum ac orbiculatum, quod in ſinum apte ſibi ſub poſteriori radice oſſis iugalis excauatum se inſinuant, cū calua-

ria articulatur in his duo sunt foramina, parte interiori, sub acuto processu, per quæ se inserũt duæ insignes propagines tertiæ coniugationis neruorum ab ipso cerebro ortum ducentium, quarum una in dentium radices absumitur, reliquum per alia foramina in anteriori parte menti egreditur. in maxillis (ut diximus) dentes continentur duo & triginta ex quibus incisorij & canini singulas habent radices, ex molaribus uerò quidam una, reliqui duabus, aut tribus, & in quibusdã ẽt quatuor nituntur radicibus dentibus non modo ad cibos molendos utimur, sed & ad uocum quarundam articulationem. Licet aũt dentes crescant per totam ætatem regignantur, sentiant, & Hipp: Aph. 18.5. libr. de his seorsum ab ossibus meminerit, cum tamen ossibus magis quam reliquis corporis partibus simillimam habeant substantiam, inter ossa cum Galeno numerandos esse censuimus. nisi quispiam uelit peculiari hoc nomine dentes denotari, ac alieno minime indiguisse, uelut cornua licet ungium naturam in multis animalibus æmulantur, non ungiũ sed cornuũ noĩe donantur.

Capitis basi articulatur prima uertebra, quã aliæ sequntur, sunt autem omnes numero uiginti quatuor, spinã uniuersam efformantes, quarũ septẽ superiores Colli, seu Ceruicis, duodecĩ quæ has sequũtur Thoracis

ſeu Dorſi, reliquæ quinq; Lumborum uertebræ ap- pellãtur. Vertebrarũ peculiares partes ſunt, Corpus, partes earum anteriori, quod omnes habent, (prima excepta) ſuperiores quidem paruum, ſenſim uero ma uis efficitur, ut infima maximum poſſideat, neq; id qui dem ab re, eum quæ ſubſtentant, his quæ ſubſtinentur maiora eſſe conueniat. Foramen per quod ſpinalis me- dulla per reptat, omnibus adeſt. cum in ſuperioribus maius, in inferioribus minus conſpiciatur. Proceſſus itẽ habent laterales, quos quinta, ſexta, & ſeptima cerui- cis uertebræ bifidos poſſident. Poſteriorem inſuper pro ceſſum decimam uſq; thoracis deorſum, in inferiori- bus ad eandem ſurſum ſpectare cernuntur. Decimæ tamen ad neutram partem inclinat. Hos poſteriores uertebrarum proceſſus peculiari nomine ſpina appel- lant. habent item proceſſus ſurſum deorſumq; ſpectan tes, quibus inuicem coarticulantur, neq; horum eadem in omnibus ratio eſt, ſiquidem prima uertebra, tam ſurſum, quam deorſum ſpectantes concauos habet, ut qui ſurſum ſpectant capitis proceſſus, qui uero deor- ſum, ſecundæ uertebræ ſurſum ſpectantes excipiãt. ea demq; eſt ratio ad decimam uſq; thoraci s. ſemper. n. ſuperioris deorſum ſpectantes caui ſunt, ſubiectæ uero qui ſurſum ſpectant, gibbi. Decimæ autem tam ſur-

sum, quam deorsum spectantes gibbi sunt, quo fit ut à subiectâ, & superiori excipiatur. reliquarum uero omnium deorsum spectantes à sursum spectantibus recipiuntur. Prima latissimum habet foramen, ob idq; tenuissima est. Secunda processu abundat, ab eius corpore enato, ualido, & sursum spectante, qui Pyrenoides & Hyppo: Dens appellatur. circa hunc caput circumduci, ab articulatione aũt caluariæ cũ prima uertebra, motum qui annuendo & abnuendo fit præstari creditur, cum motus ad dextram & sinistram reliquis ceruicis uertebris sit datus. Vertebræ item inter se commissæ inter earum corpus & processus sursum deorsumq; spectantes foramina hinc & inde efformant, per quæ nerui à spinali medulla oriundi egrediuntur. Spinam itaq; uelut ossium originem (ut Arist: placet) Superiorum partium substentaculum, Viam spinalis medullæ, Appensoriũ necnon & Tutamen adiacentium partium, nonnullis constare ossibus oportuit, quo commodius moueri posset aĩal, nec pluribus quã nunc constat, fuisset. n. superuacaneum, nec paucioribus ne ob angularem flexionem, læderetur spinalis medulla.

Cum postrema lumborum uertebra, annectitur os, quod græcis Ieron, Latinis Os, Sacrũ & Latum dicitur. Huius superior pars ea ratione cum supra posita

uertebra connectitur, qua reliquæ lumborum inter se. constare autem consueuit ex quinq;, in quibusdam sex ueluti uertebris, quæ tamen per Symphisim inter se coaluerunt. in quarum commissuris utrinq; foramina aposteriori ad anteriorem partem peruia apparent per quæ manant nerui a parte spinalis medullæ, quæ inibi continetur. In imo sacri ossis alia articulantur ossicula, quæ tria esse consueuerunt, simulq; os Coccix & Cuculus appellantur. Hæc nullam continent cauitatem, neq; foramen aliquod, in quibus aut spinalis medullæ portio contineri, aut nerui inde exorti egredi possint. licet aliter censeat Gal. lib. de ossibus. Cum duodecim uertebris Thoracis duodecim utrinq; costæ colligantur, quarum septem superiores cum sterno media cartilagine copulatæ sunt, reliquæ quinq; & ipsæ in cartilaginem desinunt, non tamen ad anteriorem partem pertingunt, ob idq; nothæ & spuriæ dicuntur. Costas habet homo inter cætera animalia curuissimas, quo pectus anteriore in parte latius etiam fieret. Sternon est os pectorale, quod ex septem constare ossibus dicit Gale. licet ex his quæ mihi obuiam fuerunt nullum pluribus q̃; ad summum quinq; conflatum repererim. cum tamen quedam Vnico, reliqua duobus, tribus, aut quatuor constare obseruauerim, In superiori parte sterni, præ

ter primas costas, duo alia articulantur ossa quæ Claues & Celso, Iugula appellantur, Vtrinq; unum. atq; inde ad summum humerum contendunt, ibiq; cum eosdem connectuntur. Horum munere fit ut humeri maxime ab inuicem distent. Scapularum ossa posteriori thoracis parte sita sunt quæ græcis Omoplata, Celso Scopula operta dicuntur, quorum partes sunt scapulæ spina, quæ est eminens ac tenuis pars pro eius longitudine, quæ in processum desinit, cum quo sui lateris clauis connectitur, hunc græci Achromion, nos Summum humerum appellamus. est & scapulæ ceruix, in cauum desinens, non admodum altum, in quod superius humeri caput inseritur, caui huius anterius labrum processum exigit, qui ob similitudinem cum corui rostro, uel anchoræ mucrone, Coracoides & Anciroides dicitur. Humeri brachijue os, superiori parte caput habet orbiculatum, quod parte anteriori bifidum apparet, huius pars inferior duobus donatur processibus, quorũ internus in acutũ desinens nulli ossi annectitur, exterior cũ radio articulatur, cuius articulationis munere extrema manus in pronum & supinũ agitur. Inter hos processus cauitas est, trochlearum orbitis haud absimilis, in cuius parte anteriori unus est sinus, in posteriore

alteri Cubitus qui & Vlna appellantur, parte superiori duobus insignitur processibus, quorum unus posterior est, anterior alter, inter quos cauitas uisitur, in quam humeri pars Trochleæ similis se īserit, huc usq; regionis sinus anterior, dum cubitum flectimus, anteriorem cubiti processum, dum autem extendimus posterior sinus posteriorem processum excipit. pars cubiti inferior tenuior est, atq; in extremo è regione parui digiti processulo quodam abundat. Radius parte superiori sinuato capitulo donatur, quo cum exteriori humeri tuberculo articulatur, inferiori uerò crassiorem habet appendicem, extrema parte sinuatam, huius superior, ac inferior extremitas cubito adnectuntur, media uero regione ab inuicem distant, quo facilius in pronum & supinum manus agatur, aptaq; sedes paretur musculis hūc locum occupantibus. Carpi seu Brachialis ossa sequuntur, numero octo, figura uaria, atq; ita concinnata, ut parte eorum superiori cum radio ac cubito carpi articulum pulcherrime efforment, parte uerò inferiori cū primo pollicis osse articulentur, & connectantur cum ossibus Postbrachialis, quæ quatuor sunt numero, in horum extremo prima reliquorum quatuor digitorum internodia connectuntur. Digitorum quilibet, tribus constat ossibus, quorum extremis parte exteriori Vngues

inseruntur, robur simul, atq; tutelam digitis tribuentes commodeq; exiguarum rerum appræhensionem iuuantes.

Cum sacro osse alia duo connectuntur, quibus integris nullum nomen gal. inditum est, celso Coxarum os dicitur. horum pars anterior qua inuicem connectuntur Pubis & Pectinis ossa, latæ uerò ac superiores partes Iliorum ossa, cauitates in quas femorum capita inseruntur Ischia, & Coxendices dicuntur, ex profundiori cuiuslibet harum cauitatum parte, ualidum ac teres ligamentum exoritur, in summam femoris capitis regionem insertum. singula hæc ossa foramen habent pre magnum, parte anteriori quo leuiora fierent.

Femorum ossium quodlibet parte superiori oblongam habet ceruicem, ad interiora inclinantem, desinit autem in orbiculatum caput, quod in coxendicis cauitatem insertum, Ischij articulum constituit. in ceruicis radice, qua femoris rectitudo incboat duo sunt processus, quorum unus parte exteriori ac superiori, alter interiori ac inferiori constituuntur. Trochantires seu Rotatores dicti, quod musculi, in hos inserti femur circumuertant, horum exterior maior, interior minor Trochantir appellatur. reliquum femoris rotundum ad anteriora ac exteriora, gibbum, interiora uero ac posteriora cauum

conſpicitur, donec pars eius inferior, multò reliquis craſſior, in duo ueluti capita deſinat, interius uidelicet ac exterius. Hæc inſinuantur in duos ſinus quibus ſuperior tibiæ pars donatur, atq; ita genu articulum conſtituunt, in cuius parte anteriori os locatur, quod Mola, et Patella dicitur, huius uſus eſt articulum tueri, & tendinem ex quatuor tibiam mouentibus muſculis conflatum, tutius ad anteriorem tibiæ partem ducere. Tibiæ autem os ad pedis uſq; articulum porrigitur, cuius proceſſus in interiori regione articuli pedis prominẽs Malleolus interior appellatur. Habet autem tibia à parte exteriori aliud os, multo tenuius, pari ferè longitudine, quod græcis Peroni, nobis Fibula & Sura dicitur, ſuperiori & inferiori parte cum tibia connectitur, mediæ uerò partes diſtant, quo muſculi hanc regionẽ occupantes cõmodius ſtatuantur. Fibulæ pars inferior Malleolus exterior dicitur. Inter malleolos occultatur os, Talus dictum, ſub talo à parte poſteriori locatur, os Calcis. duo hæc parte anteriori cũ quĩq; Tarſi oſſibus connectũtur, quorũ quod cũ tali anteriori capite articulatur, cauũ eſt. ob id Scaphoides, ſeu Naui formæ, aut Nauiculare dicitur. aliud huic à parte exteriori adiacens Cyboides uel Cubi forme, reliqua tria noĩe carẽt.

Hæc pedis ſeu plantæ oſſa ſequuntur, numero quin

q;, in quarum parte anteriori prima digitorum internodia articulantur. habet autem quilibet pedis digitus ossa tria pollice excepto, quem duobus tantum constare uidemus. Extremis digitorum ossibus parte superiori Vngues adnascuntur. Præterea enumerata ossa sunt in humano corpore alia nonnulla, exigua tamen, è quorum numero sunt tria ossicula, eleganti forma & constitutione, in quolibet meatu auditorio, quibus à similitudine nomina à neoreticis qui ipsa inuenerunt, (siquidem antiquos latuere) imposita sunt. Primum itaq; Malleus, secundum Incus. Tertium Deltoides dicitur. In gutture item est os yoides & labdoides dictum, ex multis constans ossiculis, In digitorum insuper articulis exigua ossicula, quæ à similitudine cum Sesani semine, Sesamoidea & Sesamina dicuntur. licet quæ in primo articulo pollicis pedis bina conspiciuntur, fabæ magnitudinem impleant. In humano corde os aut duram cartilaginem reperire non dum mihi contingit.

Tendinis item sexti musculi eorum qui pedis articulum mouent pars in osseam duritiem degenerauit, præterq̄; ꝙ uidemus ligamēta nōnulla in ossa degenerasse, ut sæpius occurrat caluariæ ossa coaluisse, ac suturarū tantū uestigiū deprehēditur. Ceruicis uertebras cum caluaria, et lūborū uertebras īterse coalitas ī senū ca-

B dauerib*us*:Crassæ item membranæ portio,quæ cerebrum in dextrum & sinistrum diuidit, qua narium foramina respicit,in durum degenerasse os conspeximus.quod adhuc una cum membranæ portione sibi annexa resiccatam domi seruamus.erat autem in cadauere Iuuenis hominis,quo fit ut multò minus mirer, quod Scutiformem laringis cartilaginem os euasisse quandoq; repererim:

DE CARTILAGINIBVS. Cap. 4.

SSIBVS Duritie Natura, ac usu succedit Cartilago, quæ licet osse sit mollior,reliquis tamen corporis partibus durior existit. huius multiplex est usus,cũ ad aliarum partium substentationem,ad nascentiam, (ut ita loquar) & appensionem,ossium munere fungatur. at ubi flecti,dilatari,ac constringi,partem aliquam oportuit ossa in cartilagines desinunt,uti costarum extrema ad sternum,ne item partes extantes ab extrinsecus occurrentibus frangerentur,uti auris,& nasi extremum,ac.ne ossa dum articuli mouentur actritu ab-

ſumerentur, Cartilagine oblita ſunt oſſium extrema, articulos efformantia, eaq; læui, quo expeditior fieret motus, lubricitatem addit pituita in articulis contenta, quæ etiam in diutinis & ualidis motibus, articulos ſiccari, & plurimnm caleſieri probibet. Ex Cartilaginibus nonnullæ ſunt, quæ peculiari nomine donantur, è quorum numero ſunt laringis cartilagines, eſt autem Larinx caput aſperæ arteriæ, cuius cartilaginum quæ anterior eſt, Scutiformis, Alia quæ ex pluribus conſtat Arithenoides. Tertia quæ his ſubeſt, & exacte eſt, circularis Innominata. Laringis operculum Epiglottis, ſeu Ligula (si Gal. credimus), quæ inferiorem ſedem pectoris oſſis occupat, Mucronata, & Enſiformis dicitur. & quæ genarum extrema efformant, in quibus palpebrarum pili infiguntur, ne reliquorum moræ coincidant. Tarſi dicuntur. Cartilagine item ad inuicē uniuntur uertebrarū corpora, Pubis oſſa & Epiphiſes cum ſuis oſſibus innatu minoribus. Genu autem articulus duabus abundat cartilaginibus, nouæ lunæ imaginem referentibus, quæ duas tibiæ cauitates, quibus cū femore articulatur, adaugent. Iuguli inſuper articuli cum ſterno. & inferioris maxillæ cum caluæ oſſibus. peculiaribus cartilaginibus donati ſunt.

DE LIGAMENTIS.

Cap. 5.


SSA Ac cartilagines quò ad inuicem connectantur, connexaq; maneant, alio indiguerunt, quod simul hæc præstare, & motũ ubi opus fuerit non impediret, Hæc autem ut fierent, ligamenta inuenta sunt, tantum autem duritiei obtinent ut nec motum impediant, nec mollitie disrumpantur, Oriuntur autem omnia ab ossibus & cartilaginibus. Ligamenti itaq; usus est ossa ac cartilagines ad inuicem colligare, eisq; omnia appensa, aut connata connectere, musculorum quorundam tendines continere, ut in interna carpi & digitorum regione, ad efformandos musculos sui portiones porrigere, & pituitam in articulis continere ne effluat. Articuli oẽs ligamentis circundantur, quorum quædam mẽbranea sunt tenuia, molliaq;, alia rotunda, dura, ac crassa.

DE MEMBRANIS

CAP. 6.

EX Ligamentis quædam adeo lata & tenuia sunt, ut mẽbranæ potius censeantur. De Mẽbranis iõ hoc loco tractandum duxi. sunt autem membranæ neruosæ quædam partes, latæ, tenues, & leues, intersimi

lares partes numeratæ. Tunicas, item & Panniculos uocant. differunt autem maioris ac minoris ratione, cũ quædam exactè sint tenues, ut Aranea oculi tunica, quædam crassæ, ut Crassa cerebri membrana Colore ab alijs uariat. Secundina, & Vuea oculi tunicæ. nõ nullis nomen inditum est à partibus quas circumuoluũt ut Periosteos quæ ossa, Pericrania quæ caluariam, Pecarridia quæ cor circundat, & costas Succingẽs. alijs à munere quo funguntur ut Peritoneon quod circũtendatur his quæ sub abdomine continentur. nec desunt quibus à similitudine, ut Cornea oculi tunica, & ab assumpta alterius partis natura, ut Carnosa membrana, quorum singulas proprijs in locis enarrabimus.

DE GLANDVLIS CAP. 7.

GLANDVLAE Humani corporis partes sunt, quas Græci Adenas uocant. Harum triplex est usus, quædam enim ad opplenda Imonia loca constitutæ sunt, cuiusmodi quæ post aures, in Alis, & inguinibus uidentur. Aliæ uasa muniunt, uenas uidelicet & arterias, cum in plures ramos diuiduntur, quo tutius distribuantur. Hunc præstãt usum, quæ ĩ mesenterio, sub iugulo, & alijs aliquot in locis continentur. Nec

desunt aliæ ad tertium usum effabricatæ, ad meatus scilicet quosdam humectandos. cuius classis sunt, quæ lingue radici adiacent, & Vessice ceruicem in masculis occupant, ac quæ in media gulæ regione extrinsecus adnectuntur. Mãmillæ item & Testes inter glandosa corpora censentur, atq; ij sanguinem in semen, illæ in lac immutant. Ex glandulis itaq; nonnullæ peculiari donantur nomine, cum reliquæ communi, tantũ gaudeant, quarum insigniores hic enumerare haud pigebit. In posteriore cerebri regione, inter uasa quæ ad efformandum choroidem plexum exporriguntur, glandosum corpusculum Conarium appellatur. In cerebri item basi alia quæ infundibulum excipit, in faucibus, triplex glandularum ordo spectatur. Primus laringis utriq; laterie latius apponitur Paristmia, (Istmnus.n. appellatur pars, quæ orificij gulæ & laringis interiacet. ex utriusq; extremi portione constans) & Antiades Græcis, nobis uero Tonsillæ, & Amigdalæ appellantur. Secundus qua Larinx asperæ arteriæ iungitur. Tertius autem post aures. Sub iugulo, qua uena et arteria multifarie diuiduntur Glandosa caro est. Græcis Thimon, nobis Glandium dicta. circa inferius orificium uentriculi utcunq; Glandosa ac crassior tunica Pyloron appellatur. Qua uena porte in multos ramos

discinditur

discinditur aliud insigne glādosum corpus. Pancreas, & Calicreas dictum. Circa uirorum testes uaricosa corpora Varicosi Parastates dicuntur. & quæ in uirorum cernice uessicæ conspicitur glandosa caro, ī quā inseruntur uasa semen deferentia Glandosus Prostates dicitur. alibi etiam in humano corpore glandulæ conspiciuntur, quas prudens præterire nunc institui.

DE ADIPE.
Cap. 8.



DEPS plurimus in humanis corporibus reperiri consueuit, huius materia est pinguior sanguinis pars per tenues uenas effusa, concrescit hic ob frigiditatem neruosarum partium quibus obducitur, abundat autem in mulieribus, utpote frigidis & humidis, & hys qui in otio degunt. Adipis usus est, ut partes circa quas consistit, quæ sicce sunt & tenues, natiua pinguedine humectet, hæc.n. in diuturnis inedijs, uehementibus exercitationibus, immodicis caloribus facilè siccantnr, ac indurescunt.

DE MEDVLLA.

Cap. 9.



EDVLLA Dicitur pingue illud quod in ossium cauitatibus contineri uidemus. Huius materia eadem est quæ adipis, & ob ossium frigiditatem magis minusue pro animalium uarietate, uti adeps concrescit. efficit autem ut ossa nutriantur, & in diuturnis motibus non adeo siccetur, ne frangibiliora reddantur. Spinalis medulla cum hac dicta in hoc tantum conuenit, ꝙ in uertebrarum cauitatibus detinetur, cum neq; ut ea eliquetur, nec ad eosdem usus sit efformata. agemus autem infra de ipsa seorsum.

DE HIS QVAE IN IMO uentre continentur. Cap. 10.

HACTENVS De exteriorũ partium nominibus, ossium natura, alijsq; partibus, quarum saltim nomina prænosse expedit Anatomes studiosos. nũc singularum partium historiam aggredi tempestiuum uidetur. eo seruato ordine, quo in scolis uti cõsueuimus, ea uidelicet prius enarrare, quæ in imo uentre continẽtur. ex his enim plurima prompte putrescunt, totumq;

uitiant cadauer. Imi uẽtris anterior regio à mucronata cartilagine ad pubis ossa, Græcis Epigastrion, nobis Abdomen, Arabibus Mirac appellari diximus. Dum hanc dissecamus occurrit primo Cuticula Græcis Epidermis, quam subiectæ cutis uelut efflorescentiã esse censemus. Hæc cum uniuersam cutem ambiat, prætenuis in omnibus partibus conspicitur, præterq; in pedis uestigio, & extremæ manus interna regione, in quibus crassior apparet. hanc in uiuis à cute sæpius abscedere obseruamus, cum uessicis afficiuntur, siue ea ab igne, ignitisue rebus, aut labore aliquo, aut interna etiam causa excitentur. in cadaueribus etiam admota cuti incensa candela, segregari facile solet, cumq; eam à parte quapiam deperditam facile regigni uideamus à cutis excrementis genitam esse autumandum est. eiusq; usum esse, ut cutis sensum alioquin acrem, moderetur, quo sensus tactus optime perficeretur. nisi.n. inter cutim et rẽ quæ tangitur cuticula media esset utiq; sensus tactus cũ dolore fiere, tum præcipuæ cũ res duras, asperas, acresq; contrectare tentaremus. exẽplo sunt partes nuper hac destitutæ. Cuticulam itaq; hẽnt et organa gusti deseruiẽtia, lingua uz palatũ, ac reliqua oris superficies, sidẽtes excipias Cutis sequitur, quæ oĩum externarũ corporis partiũ tegumẽtum est,

neruorum fibris uenisq; contexta, inter neruum & carnem mediam naturam ſortita, Hæc uniuerſos corporis partes ambiens, ab extrinſecus occurrentibus tuetur. ſenſilis neceſſario fuit, quo tractilium rerum differētias ſentiret, duræ ne ſint an molles. aſperæ aut læues, calidæ frigideuæ. Denſitas illi tanta ineſt ac mollities, ut nec partium motum, nec excrementorum excretionem, ac tranſpiratum, impediat. ipſaq; tamq̃; imbecillima, ac ignobiliſſima, aliarum corporis partium excrementa ſuſcipit. Nec pari ratione ſubiectis partibus connexa eſt, ſed in fronte cum ſubiectis muſculis unita, in manus uola & planta Coaleſcens, in labijs adeo cum muſculis commixta eſt, ut Muſculoſe cutis nomen ſibi uendicauerit. reliqua in uniuerſo corpore Appenſa dicitur, cum facilè à ſubiectis partibus excoriari poſſit, si aures narium extrema, penis glandem, aniq; extremum excipias, à quibus difficulter ſegregatur. Cutis item partes aliquæ uoluntario motu mouētur, ut frontis, totius faciei, & epigaſtri. aliæ item immobiles permanent ut in uolis ac plantis, quædam etiā mouetur motu alterius ſuapte natura mobilis, ut quæ à ſuperiori palpebra ad ſupercilium extenditur, dum oculos claudimus, aut ſupercilia erigimus, ipſa quoq; mouetur. Mollis item aliqua parte eſt, ut in facie, alicu

bi dura, in pedis scilicet uestigio, alibi item ægre sentire conspicimus, ut uertex, ad ipsum.n. per pauci delegantur nerui. in uolis autem & interna regione digitorum manus, ob neruorum copiã exacte sensilis est. in mollitiæ item ac duritiæ mediam omnium partium naturam sortita est, ut eam ad Symmetri naturam proprius accessisse autumandum sit. atq; huius uniuersæ, ea præcipue, quæ in interna regione ultimi internodij digiti medij sita est, temperatissima. ideoq; sensu tactus exactissimo prædita est. Quod autem cutis in homine glabra sit, alicubi tamen pilis decoratur, et quod præter insensilia foramina per quæ fuliginosa excrementa ac (in partibus pilis refertis) pili mictuntur, arteriarumq; fiat transpiratio, alibi patentibus donatur foraminibus, ut in ore, sede, pudendis, alijs partibus, manifestius est q̃ ut describi desideret. Secta abdominis cute in hominis cadauere pinguendo occurrit, maior aut minor pro uarietate obesitatis corporum. Pinguedinem hanc sequitur Membrana, quæ & ipsa, uti cutis, uniuersum corpus circundat, cutiq; medijs fibris ubiq; connexa, à subiectis uero partibus facilius excoriatur. Dicitur autem Membrana Carnosa, seu Panniculus Carnosus, quoniam non eandem ubiq; substãtiã seruat, cum quibusdam in partibus carneas fibras ab-

sumpsisse appareat, ut fungatur officio musculi, ac moueat superiacentem atq; adnexam sibi cutem, uti in fronte & tota ceruice apparet. Carnosæ huius mẽbranæ usus est, cutem subiectis partibus adnectere medijs uasis, ac neruosi fibris. Abdominis Musculi sequuntur, quorum historiam in reliquorum musculorum enarratione exactius prosequemur, nunc eorum numerum & ordinem quo succedunt, recensere tantum proposuimus, Duo itaq; primo occurrentes, sunt Obliqui Descendentes, quibus alij duo succedunt, Obliqui Ascendentes. sub his sunt duo Recti, seu longitudinales. Horum interstitium à summo ad imum Candida Linea dicitur, omnium nouissimi sunt musculi trãsuersales. Resectis octo enarratis musculis Membrana conspicitur tenuis, lata, adeo ut uniuersam uentris inferioris internam superficiem, & infernam regionẽ septi transuersi succingat, ac omnibus quæ in inferiori uentre continentur, in uolucri modo, obducatur. Mẽbrana hæc Peritonæos & Peritonæon à græcis propterea dicitur, quod circumtendatur omnibus quæ in imo uentre continentur. dicitur & Peritonæos tunica. Peritoneos membrana, & Peritoneum inuolucrum. Aui: Zifac, & chamel uulgo Siphac. oritur ex ligamentis quæ lumborum uertebras, & ossi sacri portio

nes ad inuicem colligant. Magnitudo tanta, ut internã uentris inferioris superficiem, omniaq; quæ in ipso continentur, circundare commode possit. Crassitudo maior in eius, exortu, & circa eas partes quas extendi opportebat. Vt Ventriculus, Intestina, Vterus, & Vessica. parte autem anteriori Abdominis, & circum partes quas eandem semper magnitudinem seruare decebat, tenuior conspicitur, in uiris duas ex se portiones mictit ad inguinum regiones, quæ seminaria uasa præparantia simul, & deferentia, testes item cum his, quæ circa eos sunt complectuntur. de quibus in testium enarratione agemus. Peritonæi usus sunt contegere dictas partes, diuidereq; eas à supra positis musculis, quo intestina inter musculorum spacia non intercidant, stringere item omnia, quæ complectitur, ne leui occasione laxiora reddita flatibus distendantur, postremo omnia quibus circundatum est colligare, suisq; sedibus stabilire. natum est.

Aperto Peritonæo, conspiciuntur uasa umbiliculũ efformantia. Vena uidelicet ab umbilico ad caua iecoris, Duæ arteriæ ad ossis sacri regionem, & urinaculum ad fundum uessicæ, Hæc cum non amplius deseruiant tenuia funiculi instar in adultis apparent.

DE OMENTO.

CAP. II.



IS Reſectis omentum se offert, quod Græcis Epiploon. quaſi ſupernatās, Arabibus Zirbus dicitur, membranea pars, ex Peritonæo originem ducens, primam ex eiuſdē regione quæ corpori undecimæ Thoracis Vertebræ ſupertenditur, inde uerſus caua iecoris, ad dextram fundi uentriculi regionem, & inde ad ſiniſtram uſq;, & lienis cauam partem, à qua ad anteriorem coli partem, à ſiniſtris ad dextras uſq; protenditur. quo fit ut figura ſit peræ, aut ſacculo aſſimilis, Subſtantia tenuiſſimæ membranæ, quæ uniuerſa pinguedine obducitur. uenis inſuper referta eſt, quæ ex uena porte originem ducūt. Arteriæ in ea ex eodem arteriæ à orti deſcendentis ramo, qui ad iecur, uentriculum, & inteſtina defertur. Omentum itaq; leue eſt, ne uentriculum & inteſtina grauet. Denſum ut iecur uentriculum lien & colum colligare ac firmare, uaſaq; tutius inter hæc ferre poſſet. Calidum item quo uentriculi portionem quam amplectitur, & inteſtina foueat, ſuaq; pingui ſubſtantia membranas, & ſuas & uentriculi ac inteſtinorum inungere, ac per inediam alimentum ſuggerere poſſit,

hos.n.usus præstare posse nemini uerendum est.

DE INTESTINIS CAP,12.



VBLATO Omento intestina apparent, quæ licet re uera unum continuum corpus sint, ab inferiori orificio uentriculi incipiens, ac post innumeras conuolutiones, tandem ad anum usq; exporrecta ibi finiant. ex uarietate tamen situs, crassitiei, aæ figure, in plura diuidi opportuit, ut eorum quædam crassa sint, reliqua tenuia, crassa adhuc in tria diuiduntur, quorum primũ, ut hinc exordiar. Rectum dicitur, cuius terminus est, anus, à quo sursum uersus, usq; ad eam partem porrigitur, qua non amplius recto itinere pergit, sed in spiras conuolui incipit, atq; ibi ad sinistrum inclinans desinit. Hoc aliquando ab Hipp: & Galeno, Princeps intestinum appellatum est. Huius peculiaris usus est, sicca excrementa, usq; ad tempus excretionis excipere, ac conseruare. Colon sequitur, substantia ac crassitie recto simile, huius inferior finis est, cum primum à recto conuolui incipit, indeq; per sinistri renis regionem ad sinistrum usq; Hippochondrium recta procedit, et

ad destrum ilium descendens terminatur. [b]In hac coli extremitate aliud intestinum apparet, quod cũ uni cum habeat orificium, eiusq; fundus integer sit, nec cũ alio connectatur Cœcum, Monoculus & Saccus dicitur. hoc licet canes sues ac simiæ admodum capax habeant. Homini tamen tenue exiguum, ac conuolutum datum est, ut non modo (ut in prænominatis animalibus) excrementorum capax non sit, sed neq; intestini nomine gaudere debeat. Tenuia seu gracilia sequuntur, quæ & ipsa in tria diuiduntur, quorum primum quod Colo connectitur, à conuolutionum multitudine Ileon & Voluulus dicitur. Aliud succedit substantia, crassitie, & anfractuum multitudine penitus simile. ut nulli adhuc notum sit, eorum fines quibus inuicem connectuntur describere. Verum quia ex accidenti aliquando obseruatum est, si cibus fuisse uacuum Ieiunũ appellatum est. Hoc eousq; protenditur, donec amplius inspiras, ac anfractus nõ cõuoluatur, ĩ qua regione tertium ex tenuibus intestinis incipit, quod à mensura, quã implere consueuit duodecim digitorum. Duodenum appellatur. connectitur autem inferiori orificio uẽtriculi, amplitudine ac substantia cum duobus enumeratis maxime conuenit. Sex itaq; intestina numerantur, Tria tenuia duodenum scilicet, quod ab inferiori orificio uẽ

triculi incipit, deſinit autem ubi inſpiras primnm conuolui incipit. Ieiunum ſequitur. tertio loco habetur Ileon. Tria item craſſa, quorum primum eſt Cœcum ſi modo in homine inteſtini nomen meretur, huic ſuccedit Colon, tertium Rectum cenſetur.

Omnium inteſtinorum primum commune eſt, exteriorem tunicam, à peritonæo (uelut reliqua quæ in inferiori uentre continentur) mutuare, quod inſuper duas habeant peculiares tunicas, quarum utraq; tranſuerſas obtinent fibras, exceptis craſſis, quæ parte eorum exteriori longitudinales aliquot habent. Quid autem ſunt fibræ, quot earum genera, quotue differẽtiæ, ad quos uſus factæ ſint, & quæ partes ipſas habent, quo reliqua deinceps facilius percipiantur, nunc dicere tempeſtiuum eſt. Fibræ, de quibus hic agemus, ſunt tenuiſſima filamenta, nerueæ ſubſtantiæ, inter ſimilaria numeratæ, quæ Villi, & Stamina dicuntur. Genera fibrarum ex ſitus uarietate diſcernuntur, ex his.n. aliquæ Rectæ dicuntur, aliæ Obliquæ, ſicut aliæ Trãſuerſæ. Rectas fibras dicimus eas, quæ ſecundum partis rectitudinem ſeu longitudinem porriguntur. Obliquas, quæ obliquo partis ductu ſitæ. Trãſuerſas, quæ tranſuerſim ſeu (ut aiunt) latitudinaliter partes ãplectuntur. Differẽtiæ aũt ſtatuũtur duæ præcipuæ

ex his.n.aliæ musculis datæ sũt, utpotè arbitrarij motus instrumentis. Aliæ Venis, Ventriculo, Intestinis Vessicæ, atq; alijs nonnullis, quæ nullo arbitrario motu præditæ sunt, ex quibus collige, musculis ad arbitrarios motus perficiendos datas esse, reliquis uerò ad aliud quippiam, quod nunc explicare tentabo. Partes omnes quæ nutriuntur, quatuor naturalibus facultatibus præditæ sunt. id enim quo ali debent, primo ad se trahunt, inde attractum retinent, retentionem sequitur concoctio, concoctione celebrata expulsio efficitur eorum, que aut quantitate superuacua sunt, aut qualitate molestant. uerum differunt partes inter sese, quædam.n. tantum alimenti materiam trahunt, retinent, & concoqunt, & expellunt, pro se ipsis, ut ossa cartilagines, musculi. aliæ non sui tantum ratione sed & pro aliorum usu, ut uentriculus, qui licet primo impetu, pro sui ipsius alimento cibum trahat, retineat, & concoquat. Illud tamen quod super erat tamq; superuacuum ad intestina propellit. ex quo toti corpori alimentum parari expedit, atq; hæc omnia in cauitate Ventriculi perficiuntur, uerum ut corpus ipsius uentriculi nutriri possit, adhuc dictis facultatibus uti expedit. trahit.n. siue à concocto in sui cauitate cibo, aut à Venæ portæ ramis trahat, retinet item concoquit, & excrementa ex=

cernit. Verum alia ratione. Facultates enim quibus utitur ad cibum pro uniuerſi corporis uſu, conficiendum. perficit medijs fibris, illas uero quibus pro ſe utitur ſibi inſitas habet. uelut aliæ partes omnes. itaq; pro uarietate actionum uarijs utitur fibrarum differentijs, longitudinales.n. cum contrahuntur ampliorem efficiunt partis cauitatem, & propterea eis medijs partes trahunt. Obliquæ nec ampliorem nec minorem efficiunt, quo ſit ut ipſis medijs retineant. Retentionem ſequitur concoctio, ad cuius perfectionem non opus eſt fibris, cum ſit opus caloris natiui. At tranſuerſales cum contrahuntur anguſtiorem reddunt cauitatem, quo fit ut quæ in ea continentur expelli cogant, quod autem ſub exemplo uentriculi propoſuimus, idem intelligendum de Inteſtinis, utraq; Veſſica, Vtero, Venis, ac Arterijs, alijſq; corporis partibus, quarum uſus eſt ut ſubſtantiam aliquam non modo ſui ratione, ſed & ut alias ad alimenti materiam porrigendam aut excretionem parandum adiuuent. Inteſtina itaq; (ut ad ipſa reuertar) præter exteriorem tunicam quam ex Peritoneo mutuari diximus, alias duas obtinent peculiares. quarum utraq; tranſuerſales habet fibras, quibus, oĩa quæ in ipſis continentur ad inferna expellunt. expedit autem duplicem habere tunicam, eodem fibrarum

genere conſtantem, ut si quando contigerit, earum alteram ab acri humore aut medicamine erodi, reliqua illeſa remaneat. longitudinales autem fibræ, quibus in exteriori ſuperficie craſſa inteſtina abundant, non(ut in alijs) atractioni opitulantur, ſed tranſuerſas quibus ſubiectæ tunicæ conſtant fulciunt, ne diſtentis inteſtinis illæ ab inuicem diuellantur. Ad attrahendum autem concoctum cibum non fuit opus fibris, cum ipſa inteſtina ob eorum laxitatem, propulſum à uentriculo, ſua ſponte admittant. at retinent, non quidem fibrarũ ope, ſed conuolutionum multitudine, à quibns fit ut diutius detineant, q̃ si ſtatim rectè à uentriculo ad anum exporrigerentur. quod si ita eſſet, cibus ſtatim deſcenderet, nec poſſent omnes eius partes, breuis illius inteſtini, tunicas tangere, in quibus uenarnm oſcula ſanguinis materiam exugentia infiguntur. quo fieret ut multæ partes ſanguini efficiendo idoneæ, cum fecibus eijcerentur, & homo. alioqui ad ſublimium contemplationem creatus, ſæpius cibum aſſumere atq; aluum exonerare cogeretur, impedireturq; à proprijs actionibus.

Inteſtinorum itaq; omnium præcipuus uſus eſt, concoctum in Ventriculo cibum excipere, exceptum tamdiu detinere ut magis elaboretur, atq; eiuſdẽ pars quæ ſanguini generando apta eſt, à Meſeraicis uenis

tracta ad iecur destratur. reliquum uerò, tamq; inutile tamdiu retineant, donec tamq; superuacaneum per anum deponatur. Hæc omnia ut commode perficere potuissent, quæ statim à uentriculo excipiunt tenuia et angusta esse expedijt, tenuia quidem, quo commodius uenarum oscula alimentum exugere possent, à chilo alioqui molli & fluido. Angusta ut quelibet chili pars eorum tunicas tangeret. Contra alia crassa, ac ampla. Crassa quidem, ac dura ne ab excrementorum duritie lederentur, ampla autem ut plura continere & facilius expellere possent.

Singulorum item usus est, Duodeni quidem ut trãsitum tribuat concocto cibo à uentriculo ad alia intestina, & excipere meatum uessicæ fellis, per quem flaua bilis expurgatur. Ieiuni uerò & Ilei ut sanguinis materia in ipsis à reliquo segregetur. Differũt tamẽ: nam in Ieiuno plurima fit distributio, ob uasorũ multitudinẽ, & iecoris uicinitatem, ad hoc ẽt adiuuat quòd primũ quæ concocta sunt recipiat. Iecoriq; tunc inani porrigat, in Ileo aũt cũ non habeat tot uasa, nec adeo iecori sit uicinum, multa alimenti portio sit distributa, & iecur iam impleri ceperit, pauca fit distributio Cæco quẽ tribuamus in homine usum non inuenio. cũ adeo sit gracile, ut ne uel minimam excrementorum partẽ excipere ac continere possit.

Coli autem uſus, uti diximus, eſt recipere ſicca excrementa, ac tamdiu retinere, donec ſi quid reliquũ fuerit utile à uenis trahatur. in eo.n. uelut in tenuibus inteſtinis uenarum propagines cernuntur, licet pauciores quemadmodum ad rectum pauciſſimæ porriguntur. Situs item ratio conſideranda eſt, ſiquidem initium, eius eſt in dextro ilio. Surſumq; aſcendit ad caua iecoris, inde per fundum uentriculi, tranſuerſo ductu, ſtatim ſub abdomine ad ſiniſtrum hippochondrium fertur, à quo deorſum per ſiniſtrum ilium, conuolutionibus aliquot efformatis, ad rectum uſq; ducitur. quorũ nullum temere factum eſt, ſed incipit in dextro ilio cum ibi ſit finis. Ilei inteſtini aſcendit autem ſurſum, tum ut diutius excrementa morentur, tum etiam ut aptiorem ſedem nanciſcatur. ſiquidem elatior eius ductus & ſtatim ſub Abdomine efficit, ut magis à ſepto trãſuerſo & Abdominis muſculis ad durorum excremẽtorum expulſionem comprimatur. Tranſuerſus autem eius ductus & conuolutiones reliquæ efficiunt, ut excrementa ſenſim ad rectum deducantur, quo ſi quid forte ex optima cibi parte alias omnes uenas effugerit, hic exugi poſſit, & ne rectum tanta multitudine grauatum ſæpius exonerari cogatur. Recti autem inteſtini uſus tantum eſt, ut ſicca excrementa excipiãt, ac

piãt, ac

piant, ac detineat quamdiu excerni opus sit.

DE MESENTERIO ET Vena Portæ Cap. 13.



NTESTINA Colligantur parte quadam membranosa, quæ Græcis Mesareon & Mesenterion dicitur. Latinis quibusdam Lectes, huius origo est ex earum uertebrarum corporibus, quæ renes & septum transuersum interiacent. constat autem ex duplici Peritonæi tunica. Venas meseraicas Arterias, ac Neruos cõplectente, quæ ad intestina feruntur. ipsaq; intestina nihilominus orbiculatim conuestit, continet item glandosa quædam corpora ex eorum numero quæ ad tutiorem uasorum distributionem fabricata sunt. Meseraicæ itaq; uenæ sunt extremæ partes, ac exigui palmites in intestina ipsa desinentes, qui omnes sensim uniti in magnum abeunt uas, in cauam iecoris partem insertum quod uena Portæ dicitur, quæ ex se etiam ramos aliquot ad fundum uentriculi, necnon & insignẽ sui portionem ad lienem mittit, per quam crassius, ac fœculentum sanguinis excrementum ad lien fertur,

unde etiam, per exigua quidem sed perspicua uascula, melancholicus hnmor ad os uentriculi expurgari creditur. Portæ itaq; & meseraicarum præcipuus usus est, ut ab intestinis ad iecur manns instar, materiam pro gignendo sanguine deferant, & quoquo pacto immutent. quo fit ut proportione respondeant plantarnm radicibus, licet quandoq; per eas noxij humores uel sua sponte aut assumptis farmacis à reliquis corporis partibus ad intestina expurgentur. Arteriæ item ac nerui per mesenterium feruntur ad intestina, uentriculum, iecur, & lien. Arteriæ quidem ad deferendos uitales spiritus, & caloris symmetriam conseruandam. Neruos autem ut sensus participes fiant.

DE LIENE Cap. 14.

LIEN Alijs Splen appellatur, sub spuris costis sinistri hyppochondrij latet. figura sub rotunda, neruosis nexibus alligata septo transuerso, iecori uerò uentriculo & omento medijs uasis. exiguus neruus cum insigni arteriæ ramo, à regione qua mesenterium exoritur, ad lien feruntur, neruulus quidem in eius tunicã absumitur ut sentiat quoquo pacto nocumenta. At insignis arteriæ ramus maior quidem quam eius Magni-

tudini conuenire uidet[ur] datus est.ut uisceribus suapte natura frigido calorem impartiret ut crassities trāsumptorum ab epate humorum dissecari, ac in eius substantiam immutari posset. Substantia eius est laxa & fungosa, ut crassam sanguinis fecem, quam Melancholiam uocant, admittere posset. quod peculiare huiusce uisceris munus esse credi facile potest.

DE IECORE
Cap. 15.



ECVR Iecimus, & Epar, dextrum hyppochondrium occupat, sub spurijs costis fere latens: protenditur autem usq; ad mucronatam cartilaginem. huius praecipue partes sunt Gibba, quae costas respicit, & caua quae uentriculo innititur: consueuit autem in qninq; Fibras, seu Lobos, uel (ut uocant) pennulas diuidi, licet aliquando integrū & absq; diuisione obseruauerim: quamobrem frustra peculiaribus nominibus fibras à quibusdam donatas esse censemus. Alligatur autem ligamento tenui, lato, ac ualido, à septo transuerso ad Gibbam ac superiorem eius partem inserto: necnon & alijs tenuibus ac neruosis ligamentis cum spurijs costis. medijs item uasis cum Ventriculo, Liene, &

a intestinis. eius superficies membrana obducitur tenui, quæ (ut in reliquis in hoc uentre contentis) est pars Peritonæi. Ex caua iecoris parte oritur uena portæ. Hæc ab omnibus iecoris partibus ueluti radices habet, quæ inuicem coeuntes unum efficiunt dictæ iam uenæ Caudicem qui postmodum in uarios discissus ramos, ad Ventriculum, & Lien ferri dicebamus: reliquum uerò omne in innumeros discindi surculos, quos ad intestina delatos uenas meseraicas efficere retulimus. Arteriæ etiam ramus in cauam iecoris partem inseritur, ac per totum eius corpus diffunditur, duæ item tenues neruorũ propagines, ex sexta cõiugatione eorũ qui oriuntur ex cerebro, in eandem iecoris partem inseruntur, quo sensus etiam licet exigui, sit particeps. In cauam etiam iecoris partem inseritur uas, ex uenarum genere, ab umbilico per quem ferebatur sanguis pro alimento fœtus prius quã in lucem æditum esset animal. In eadem caua iecoris regione, Vessica fellis uisitur, quam & Cistam fellis appellant, est autem nerueæ crassæ, ac ualidæ substantiæ, quo excrementum, alioqui tenue, ac acre, non in noxie modo excipere. sed cum uoluptate continere possit. Vnica constat peculiari tunica, licet eius pars exterior, quæ à iecoris corpore non occupatur peritonæi etiam parte obduca-

tur. peculiaris autem eius tunica, omni fibrarum genere constat, quo & trahere, & continere, necnon et statuto tempore expellere possit Felleum humorem. ad huius superiorem regionem ubi in angustū meatū degenerauit, alter fertur meatus, ex multis, ac paruis cōflatus radicibus, ab uniuersa caua iecoris regione prodeuntibus, per quas tenue sanguinis excrementum à iecore ad eam de qua agimus uessicā delegatur. Meatus autem in quem hæc desinit, ad Duodeni intestini tunicas pergit easq; ad internam usq; superficiem pertundit. quo fit ut tenue illud sanguinis excrementum quod Flauam & Amaram Bilem appellant, excipiat primo Vessicula ipsa, inde per peculiarem meatum ad Duodenum intestinum expurgetur. Abutitur autem hoc excremento ipsa Natura, ad accelerandum fecum transitum, ac detergendam pituitam ab interna intestinorum cauitate. Venulæ a candice uenæ portæ ad hanc uesiculam pergunt. Arteriæ item susculi ab ea quæ iecoris cauum ingreditur, ut nutriri possit et natiui caloris particeps fiat.

Tota iecoris moles ex his, quæ nuper enarrauimus propria carne, & uenæ cauæ radicibus constat, eius autem caro, cum fibras non habeat, sed concretum & ueluti siccatum sanguinem præ se ferat, à ueteribus

non caro ſed parenchima, quaſi concretionem dixeris appellata eſt. aptiſſima quidem ſubſtantia ad immutandam attractam materiam ĩ ſanguinem. ipſa.n. ſanguinis materia primum à uenis ipſis meſeraicis quoquo pacto immutatur, inde intra iecur in radices uenæ portæ immiſſus, per earum extrema oſcula, in iecoris inania ac ratione tantum contemplabilia ſpatia excidit, indeq; penitus immutatus, necnon, à craſſo ac tenui excrementis purgatus, extremas uenæ cauæ radices ingreſſus, ad eiuſdem caudicem fertur, qui ex gibba iecoris parte originem ducit. His itaq; ſe dnlo perſpectis facile innoteſcet, iecur, ſanguinem perficere, ac uenarum omnium (ſi arterialem cordis uenam dempſeris) originem eſſe, nec obſtat, quo ad uenarum originem, quod uena caua amplior appareat iuxta cor, quam in gibbis iecoris, cum multas uideamus plantas, quarum caudex tenuior eſt ea parte quæ prope terram eſt, quam in ſuperioribus. neq; tamen aliunde quã ex ipſa terra oriuntur. Mea tamen ſententia amplitudo illa Venæ, quæ è regione cordis apparet efficitur ob amplam ſciſſionem tunicæ uenæ, qua ſe inſerit in dextrum cordis uentriculum, non autem ꝙ ibi principium ſit uenæ. Quod autem uena ipſa caua recte à

ſummis ad ima per gibba iecoris feratur, ibiq; eius ueluti radices ab uniuerſa iecoris ſubſtantia inſerantur, non efficit ut inde ortum nan ducat. conducebat enim ad equam ſanguinis diſtributionem, ut non uuus oriretur truncus qui ſtatim ab ortu in duos præcipuos ramos diremptus eſſet, quorum alter oblique ad ſuperna reliquis ad infrna pergeret. hac.n. ratione ampliori loco indiguiſſet, nec ita ab iniurijs tuta fuiſſet Vena ipſa, & ſanguinis diſtributio maiori incõmodo fieret. Quas ob res rectam oportuit eſſe cauam uenam, & à iecore nihilominus originem ducere, cum in eo habeat radices infixas, & ab eo ſanguinem excipiat, cuius per uniuerſum corpus deferendi munus obtinet. neq; ob aliud fabricata ſit.

Nec minus abſurdum eſſet aſſerere ſanguinem alibi q; in iecore perfici. ſi.n. cordis munus hoc eſſet, unde queſo materiam trahet, niſi ab inteſtinis? ab his autem ad cor nulla alia patet uia præter uenam portæ, iecoris corpus, & cauã uenam, cum inſuper Meſeraicas uenas chili colorem imutare maniſeſte cernamus, hanc immutandi uim à iecore aſſumere crediderim, Velut Arterias Pulſatoriam uim à corde

Senſoriam neruos à Cerebro aſſumere certo ſcimus, cur igitur iecur ſanguinem perficiendi munere priuabimus? Siquis autem adhuc contendat, materiem quidem ſanguinis per Meſeraicas, iecur, & Cauam ad Cor deferri, in eis immutari purioremq; reddi, non tamen adeo abſolui. quin maiori adhuc egeat elaboratione, ac perfectione, hanc autem in corde aſſumere. is ſciat, ſi ita se res ſe haberet effici, ut partes quæ infra iecur ſunt ſanguine alantur imperfecto, ut qui cordis regionem non attingat. fruſtra item uenas et arterias Natura condidit, cum ſatis ei fuerit, Venam cauam ad cor uſq; protendere, deinceps uerò ſolis uti arterijs, ad deferendum per uniuerſum corpus elaboratum ſanguinem. Nec eo inficias, quod ſanguis qui cor ingreditur elaboratior, ac tenuior efficiatur. id.n. clarè perſpicimus in eo, qui per arterialem uenam ad pulmonem alendum fertur, multoq; magis in eo, qui in ſiniſtro uẽtriculo cordis ſummam abſolutionem nactus, per arterias funditur. is nanq; licet ſit perfectior, ut commode natium calorem ac uitales ſpiritus reficere poſſit. ad alendas tamen partes inutilis penitus eſſet. propterea alio opus erit, qui ut ſpiritus reficere non ualet, craſſã tamen partium molem alere poteſt. non modo autem ſanguis qui è Iecore in cauam uenam excidit, partes

alere poteſt, ſed & is qui nondum ad iecur peruenit. Cum uentriculum, Inteſtina, Omentum, & fellis ueſſicam eo ali uideamus. quantò aptior nutritioni erit is, qui in iecore elaboratus eſt? Hæc de iecore uenarũ principio, & Sanguificatione.

DE VENTRICVLO eiuſq; partibus Cap. 16.



ENTRICVLVS Media regione ſub hippocondrijs, ac mucronata cartilagine locatus ẽ. dextram eius partem uniuerſam occupat Iecur, ſiniſtram Lien, media anterior regio circa mucronatam cartilaginem aperto peritoneo apparet, ut tota eius figura rotunda inſpiciatur, à dextro ad ſiniſtrum oblonga, inferna & anteriori parte gibba, poſteriori uerò & ſuperna concaua. ab inferiori eius tota longitudine Omenti pars originem ducit, ad quam etiam inſeruntur rami uenæ portæ, & eius quæ ad lienem fertur, & à lienis etiã regione, arteriæ ab arteria à orti, qua menſenterium originem ducit. Supernæ parti uerſus ſiniſtrum latus, quam ſtomacon græci, nos uentriculi os appellamus.

Aesophagus cōnascitur, qui nobis Gula dicitur, quibusdam Meri. huiusmodi autem connexio non est exacte ad sinistrum Vētriculi latus, sed relicta eius portione, superiori parti uersus dextrum inseritur, atq; id quidē consultò, ne cum nos decliui capite agimur, cibum euomamus. ad hanc regionem, dico uentriculi os, ducuntur duæ insignes neruorum propagines, ex sexta coniugatione eorum qui oriuntur ex cerebro. quibus fit ut inter omnes uentriculi partes, hæc maxime sensilis effecta sit, ob idq; cor ab antiquis nominatum asserit Gale. cum hac affecta eædem sequantur passiones ac si cor pateretur. Inferius orificium ad cuspidem dextri apicis uersus superiora tendentis locatum est, ne uidelicet cibus priusq̄ sit coctus, ab expultrice uentriculi facultate pellatur & sua spōte ad intestina defluat. hoc postremum orificium desinit in partem quamdam crassiorem ac carnosiorem, quæ siue dum cibus coquitur, constringat orificium & facta coctione laxetur, aut sit tantum ueluti uentriculi finis, et intestinorū initij cōduplicatio Pileron, quasi Ianitorem portæ custodem, ac portonarium appellatur postremum hoc uentriculi orificium superiore angustius est ac meritò quidem. superius enim crassa, dura, ac sicca cibaria suscipit at inferius mollia, tenuia, ac fluida. Tunicas habet tres,

quarum extima peritonæi pars est, reliquæ duæ sibi peculiares, quarum exterior crassa, mollis, carnosa, trãsuersis fibris donata est, quibus coctum cibum expellit. Interior tenuis ac neruosa, rectis obliquisq; intertexta fibris, ut à rectis trahat, obliquisq; attractã retineat. Interior superficies læuis est, ac lubrica, homini, cum nonnullis animalibus aspera, uillosa, ac eminentibus quibusdam lineis concinne exornata sit. feruntur ad eius orificium uenulæ alienis regione, per quas melancholicum excrementum expurgari potest, quod sua aciditate ac astrictione ciborũ appetentiam citare creditur. Ventriculi munus est, ingesta cibaria excipere, excepta, promptuarij modo, tamdiu retinere, donec concoquantur. ut demum cocta uniuersis corporis partibus pro earum alimento distribuantur. Hæc de uentriculo.

DE SEMINARIIS VASIS & testibus. Cap. 17.



AVAE Vena, quã ex gibbis iecoris originem ducere dicebamus, portio altera deorsum fertur, quæ cũ primũ nuda apparet, ex sinistra trũci regione exiguã portionẽ mittit ad mẽbranã quæ pĩguedine ĩ obesis obduci

tur circa dextrum renem. Hæc in aliquibus cadaueribus coniugem ex ſiniſtra trunci regione, ad ſiniſtri renis inuolucrum obtinet, Oriuntur autem externa hæc renum inuolucra ex peritoneo, ad infernam ſepti tranſuerſi ſedem, quarum uſus eſt renes in ſua ſede alligare, & pinguedine qua obducuntur fouere. Paulo uerò infra duas inſignes propagines promit, quarum dextra elatior quam ſiniſtra eſſe conſueuit. licet hoc non ſit perpetuum, cum è directo aliquando, quandoq; ēt ſiniſtram dextra elatiorem obſeruauerim. ueluti ēt duplicē dextram. Neq; ſilentio prætereundū quod ſemel obſeruaui, ortū uidelicet ſiniſtræ huius propaginis ex ea uenæ cauæ regione, quæ ſacrum os attingit inde ſurſum ad ſuum renem contendebat, ut hinc diſcamus, pleraq; in humanis corporibus imutato ſueto ordine inueniri, quæ niſi quis uiderit, uix narrantibus fidem adhibere poterit. Ad inſtitutum itaq; redeuntes, duæ iſtæ uenarum propagines Emulgantes appellantur, et quelibet ad ſui lateris renem ſe inſinuat, quarum dextra integra & nulla ex ſe prolata propagine ad renem pergit, cum tamen ſiniſtra, duos promat ſurculos, unum ex ſuperiori parte & reni propinqua, quem in renis tunicam abſumi dicebamus, alium ex inferiori media inter uenam cauam, & renē

regione, qui est uena seminaria sinistra. dextra enim oritur ex anteriori parte trunci ipsius uenæ cauæ, paulo infra emulgentes dictas uenas. harum quelibet, ab ortu oblique ad suum latus deorsum per peritonæi foramina ad testem fertur, exiguos interim surculos peritoneo & testis tunicis impertiens. Arteriæ, item duæ sunt, imbæ ex anteriori trunco arteriæ aortæ descendentis, infra emulgentes arterias originem ducentes. Hæ obiiquo etiam ductu, deorsum latæ, ad seminarias uenas contendunt, cum quibus ad testes usq; pergunt. uerum ubi è peritonæi cauitate exciderint, in innumeras diuisæ soboles, ad inuieem adeo cōmiscentur, ut nullo pacto dignoscas quæ nam arteriæ, quæuæ uenæ sit portio. hac itaq; ratione in anfractuosos giros consolutæ, superiori testis regioni implantantur. Testes autem conuestiunt parte externa cuticula, & cutis, rugosa quidem ac laxa, de qua supra egimus. Sub cute etiam membrana carnosa uisitur. Hæc utriq; testi cōmunia sunt tegumenta, ueluti & toti corpori. Peculiares autem adhuc duæ super sunt tunicæ, quarum exterior ex peritonæo ortum ducit, ex regione ossis ilium, qua perforatum esse dicebamus. hæc deorsum protensa omnia seminaria uasa unà cum teste circumuoluit, parte externa multis, ac tenuibus fibris annectitu

membranæ carnoſæ. item alijs medijs fibris dextra et ſiniſtra ad inuicem coeunt. ſubſtantia tenui, parte interna, læuis, aqueo humore madens. in inferiore teſtis parte uaſi ſemen deferenti, & inde uſq; ad ſuperiora, per poſteriorem uaſorum regionem, cum eorũ mẽbrana connaſcitur, reliquorum uerò nulli parti alligatur. parte externa fibras carnoſas aſſumpſit, quapropter muſculi uicem ſubiens, teſtem quoquomodo ad ſuperiora trahit. Appellant autem huiuſmodi tunicam erythroidem, aut ob rubrum colorem ex carneis fibris aſſumptum, uel quod uaginæ ſit ſimilis, & ob id uaginalis à latinis appellatur. hanc etiam tunicam. quod ſit teſtis ſuſpendiculum, à græcis Cremaſtira, quaſi ſuſpenſorium appellari audio. Altera peculiaris teſtis tunica Epididimis quaſi ſupergeminalis, & Darta quaſi excoriabilis dicta ẽ, quæ undequaq; teſtis corpus circundat, externa parte læuis, craſſitudine mediocri, duritie media inter teſtem ac uaſa, ſiquidem uaſa dura erant, at teſtium caro mollis. ne itaq; durum cũ molli uerſaretur, opportuit medium aliquod fabricari, cuius interuentu corpora hæc coire poſſent. Vaſa ſeminaria in hanc primum inſeruntur, inde teſtis ſubſtantiam ingrediuntur, huius itaq; uſus primus eſt, ut ea media uaſa præparatoria teſtiũ ſubſtantiæ inſerãtur,

alter ut testis substantiã alioqui mollem ac friabilem foueret, cõtineret, ac ab extrinsecus occursantibus tueretur. Ipsa autem testis substantia, rotunda, alba mollis, uasculis tenuissimis intertexta. aptissima, quidẽ ad sanguinem dealbare, ac in semen ĩmutare possit.

Ex superna exteriori testis parte ad finem uasorum præparantiũ incoat corpus quodam, glandosum, ac flexuosũ, quod oblique deorsum ad internã simul et posteriorẽ partẽ contendens, inde oblique sursũ ad interna conscendit, sensim gracilius euadẽs appellatur hmõi corpus Varicosus Parastates, quasi iuxta stãs, tandẽ degenerat in gracilem ac neruosum uas, quod per internã præparantiũ uasorũ regionẽ, sursum delatum ad peritonæi foramen conscendit. inde deorsum ad inferiorẽ partẽ ceruicis uessicæ fertur. ibiq; crassior aliquantulum redditus, cũ altero ex alio texte enato unitur. atq; in glandosum corpus ibi assistens. simul inseruntur, appellant autem huiusmodi corpus. Glandosum Prostatem, quasi assistentem diceres. uasa autem ipsa dicuntur Vasa Deferentia, uel Iaculatoria, in quibus nullibi meatus manifeste ĩ mortuis apparet. quemadmodum neq; ab eis ad urinarium meatum. cum tamen expressa eorũ radice, ac dissecto (ut cerni possit) Vrinario meatu, semen scaturiat. atq; hæc

est in uiris seminalium uasorum series, quorum omnium usus ex dictis patere facile potest. nunc ad renum, ac uessicæ penisq; historiam redeamus.

DE RENIBVS ET VRINArijs poris. Cap. 18.


EROSE Ac aqueæ humiditatis multum cum chilo ad iecur usq; fertur, cuius mistione fit, ut sanguis tenuior liquidiorque effectus, per iecoris corpus, à portæ ad cauam uenam facilius permeare posset. cum autem ad cauam uenam peruenit, serosæ huius humiditatis minor quantitas necessaria erat, quæ ad extrema usq; uenarum ora sanguinem deduceret. Ad hanc itaq; expurgandam renes fabricati sunt, numero quidem duo, quo uberius traherent, uel altero morbo aliquo impedito, reliquus nihilominus suo munere fungatur. iecori proximi, quo promptius traherent, alter altero elatior, ne è regione locati plus sanguinis affatim traherent quàm pro eorum alimento opus erat, serosæ uerò humiditatis minus. Figura oblonga, ac subrotunda, externa parte gibba, interna caua, quo commodius

modius

modius suo loco continerentur, anteriori ac posteriori parte depressa, ut adiacentibus minus essent impedimento. Substantia densa, quo sanguinem retineret, serosam uerò humiditatem per eorũ corpora, uelut percolatam deijcerent. Eadem ratione qua emulgentes uenæ Arteriæ etiam feruntur, ex eadem regione ab arteria aorta descendente ex promptæ. Emulgentes Arteriæ ac uenæ ad renes contendentes peritonæi parte integuntur, quæ ad renes accedens eis connatam tunicam efformat. tenuem & undequaq; eos complectentem. in hanc absumitur nerui propago, à portione sextæ coniugationis quæ per radices costarum fertur, efficit autem, cum sit exigua, ut renes obtuso quodam sensu sint præditi. Venæ & arteriæ emulgentes priusq̃ renes attingant bifariam diuiduntur quarum anterior diuaricatio, ad anteriorem, posterior ad posteriorem renum regionem inseritur. atq; in ipso primo ingressu cum renis substantia connectiuntur, inde quælibet uasorum diuisio, anterior, nimirum & posterior, in unum coeuntibus uenis cum arterijs, pulcherrime membranam efformant. densam ac nerueam, quæ latior effecta, & ad renis medium progressa, in plures ramos dirimitur, senario ferè numero. ad interiorem regionem tendit, inquam in plures ramos diuisa inseritur.

Iterumq; connectitur.hucusq; enim soluta,ac nulli connexa per renis cauitatem ferebatur.quo fit ut duplex sit membranæ huiusmodi ductus,quemadmodum duplex erat uasorum diuisio,nempe in anteriora & posteriora, qui in medio coeuntes unicam efformant membranam,cuius medium in caua renis regione secundum renis longitudinem curuatur.duo uerò extrema aliquotenus membranæa inde in plura uasa diuulsa,ad posteriora contendunt,atq; adnectuntur.cauitas autem in qua hæc continentur mihi unica uisa est, multifariam tamen se habet cum primum in anterius ac posterius dirempta appareat,medio quodam carnoso corpore,ab exteriori corporis renis regione orto, et se in membranæ curuaturam insinuante, ac si ipsam implere contenderet.extrema uerò tum anterioris tum etiam posterioris partis,todidem habet cuniculos, quot sunt surculi in quos membrana desinit.in hac cauitate renum calculi seu lapilli gignuntur,ex crassiori materia,ab eximia renum caliditate resiccata,ac deassata. excidunt autem ad uessicam per urinarios meatus, quos nunc prosequar.Membrana quam efformabant uasa ad renes ingressa,in media regione foramine peruia est,unde etiam oritur meatus cauus, substantia neruea,rotundus,ac oblongus,una peculiari tunica, uena=

rum more fibroſa, ſed craſſiori ac duriori. Hic è media interiori renis regione elapſus, lumborum muſculis ſupertenſus, deorſum ad ſui lateris ueſſicæ fundum contendit, ibiq; īnſeritur. eadem ratione ex altero rene. alter oritur meatus, atq; ueſſicæ ſuo lateri inſeritur. Inſertionem hanc contemplatus miraberis, ſiquidem ad eam ueſſicæ fundum regionem accedentes, quæ eſt prope eius ceruicem, non ſtatim eam perforant, ſed ibi externa parte adnexi, per tunicæ corpus ulterius prodeuntes, tandem internam ſuperficiem perforantes, ad ueſſicæ cauitatem erumpunt. quo fit ut ea interior ueſſicæ ſuperficies, quæ à prima meatus inſertione ad poſtremam eruptionem interiacet, admittat quidem ut urina, lapilli, & alia per poros delata, ueſſicam ingrediantur, uerum poſtea ſiquid regredi contenderit, concidit ac meatum obſtruit, ne quid à ueſſica ingredi poſſit: quod quidem facile in mortuis etiam innoteſcet, ſi immiſſo per eoſdem meatus aere, aut aqua, alioue liquido, ad tenſionem uſq; impleas, & ceruicem deliges, poſtea quantumlibet compreſſeris, rumpetur potius ueſſica, quam aliquid ex his quæ intus continentur, per eoſdem meatus reggrediatur.

DE VESSICA ET Pene. Cap. 9.



VESSICA Ipsa inter rectum intestinnm & pubis ossa in uiris latet, figura rotunda, exterius parte peritonæi inuoluitur. Vnica constat tunica, omni fibrarum genere prædita. substantia neruosa, extensionis patientissima. partes habet fundum & ceruicem, fundus dicitur uniuersa eius capacitas, donec in angustum meatum anterius desinat. Vreteres pori paulo supra hanc regionem, in uessicā inseruntur. Deinceps Ceruix est quæ non amplius ut uessica deorsum, sed inferiori parti ossium pubis adnexa. oblique uersus anteriora fertur. In inferiori regione ceruicis uessicæ adest in uiris glandosa caro, quā Glandosum Prostate appellari dicebamus. cuius usus est, semen. à delatorijs meatibus excipere, & propria humiditate irrigare urinarium meatum, ne unq̄ siccetur, & semen aptius eiaculare possit. Post hunc est musculus exiguus quidem, sed trā suersim totum meatum complectens. cuius beneficio uessicæ ceruix clausus seruatur, donec nobis urinam excernere libeat, tunc enim à proprio munere desistēs

laxatur, uessicæ auetm ceruix aperitur, quo fit ut urina à septo transuerso & abdominis musculis expulsa excernatur. A uessicæ ceruice protenditur Vrinarius Meatus ad extremum usq; penem. hic autem communis est urinæ & semini excernendæ. tunica constat crassiuscula, carneis fibris transuersis constante, quarum beneficio efficitur, ut siue urinæ reliquiæ, aut semen in eo cõtineatur, ex nostro arbitrio impulsu quodam eiaculetur, & propterea non immeritò, totum urinarium meatum musculi uicem subire crediderim.

Ex inferna ossium pubis regione paulo ante quã ad inuicem committantur, duo oriuntur teretia corpora, unumquodq; à sui lateris osse, ligamenti naturam æmulantia, quæ sursum quodam modo attensa, & ab ossibus recedentia se contingunt. à media uerò penis regione ad glandem usq; adeo connectuntur, ut uix acutiore etiam nouacula segregare queas. huiusmodi autem corpora, licet exteriori superficie densa esse uideantur, ipsis tamen dissectis ueluti forata ac caua reperies, neruosis tamen fibris intertexta, ac interiacentia, spatia nigro sanguine oppleta. desinunt autem in acutum, & eorum cuspidi carnosum corpus adnascitur, quod non modo dictorum corporum cuspidem complectitur, sed & finem urinarij meatus. appellatur autẽ

carnoſum illud corpus Glans, meatus uerò urinarius per infernam dictorum corporum regionem, ad glandem uſq; fertur, in qua latior effectus, tandem iterum anguſtior redditus, in extremum foramen deſinit. Amplitudinem qua hac parte meatus donatus eſt, putant eſſe cauſam, quod ſemen dum coimus ibi pluſculum detineatur, quo plus delectemur. ſemen uerò quod in gonorrheis emittitur, uel pus à ſuperioribus ulceribus demiſſum, ibi detentum, hanc potiſſimum partem exulcerant. At ego autumauerim amplitudinis huius uſum fuiſſe, ut in ea ſemen colligi, ac paucula contracta mora uniuerſim in uterum eiaculari poſſet. moræ autem in ea parte contractæ, non amplitudinem modò ac finis anguſtiam cauſas eſſe, ſed etiam quod ibi meatus tranſuerſis fibris deſtituatur quibus ante hac cõſtare ut cõtẽta expelleret dicebamus. Hac itaq; ratione fabricatus penis, præter uenas, arterias, neruos, ac muſculos de quibus ſuis locis agemus, aptiſſimum inſtrumentum eſt ad ſemen in uterum eiaculandum, ac urinã excernendã. ad ſeminis aũt cõmodam eiaculationẽ tumidum, rigidum, ac erectum eſſe opportuit. uerum reliquo tempore hæc inutilia ac incõmoda futura erant. quamobrem tali ſtructura fabricatus eſt, ut coitus tempore intumeſcat, ac erigatur. reliquo uerò contrahatur ac langueſcat.

MVLIERIS GENERATIONIS organa. Cap. 20.

FRVSTRA Quidem hominis conficiendo ac eiaculando semini dicatas partes fabricasset Natura, nisi sociam ei mulierem tribuisset, quæ immissum semen conciperet, ac foueret, necnon & ipsa semen gigneret, quod masculo additum, ipsum augeret, & ad solidas partes Fembronisq; tunicas efformandas, copiosius redderet. ut autem hæc omnia præstare posset, eædē ferè partes illi tributæ sunt, quæ et uiris cū tamē ijs extra peritonæum emineant, illis intus lateant, neq; id ab re, mulieres enim concipere ac ad absolutionem usq; gestare, uiri autem semen extramittere debebant. Ortus itaq; uasorum seminalium & numerus, idem in mulieribus est ac in uiris. duæ uidelicet uenæ, quarum dextra ex trunco uenæ cauæ infra emulgentium ex ortum, sinistra ex sinistra æmulgente diuaricatur. duæ item arteriæ ex trunco arteriæ aortæ descendentis. Harū dextræ ad dextrū, sinistræ ad sinstrum ilium exporrectæ uniuntur, & inde ad sui lateris testē accedunt, cū tamen prius insignem sui portionē ad uteri fundū mittant, et ad mēbranas quæ testē peritonæo cōnectunt dicūtur aūt hæc Vasa Præparātia. Testes aūt ipsi minores sūt q; uirorū, oblōgi,

lati, foris inæquales, ac asperi, unica tecti tunica, tenui ac pertinaciter testis carni inherenti. Intus sinus quosdam habent inæquales, quos si pupungeris semen scaturiet fluidum, ac multum. A testium inuolucris alia oriuntur uasa, uaricosa, ac circa testem quoquo pacto implicita, in tenuia alia ac teretia & neruosa desinentia, à testibus sursum feruntur, inde non recte sed uelut conuoluta, ac flexuosa quodlibet ad sui lateris fundi uteri cornua inseritur.

Vterus inter uessicam & rectum intestinum situs ē. eius partes sunt Fundus, Os, et Ceruix. est autē Ceruix uniuersa uteri laxitas, quæ à pudendo ad angustum foramen porrigitur. in hanc tantum cauitatē se inserit in coitu, hominis pudendum. Tunica constat neruosa, molli, quæ intra se fibras quasdam obtinet, iis quæ in penis corporis cauitate uisuntur haut absimiles. quo fit, ut & ipsæ penis modo dum mulier coitum appetit, aut uolens exercet, erigi ac intendi possit. interna eius superficies cum in se concidit rogosa apparet. Si uerò distendatur læuis ac lubrica. Ceruix in angustum foramen desinit, quod uteri Os dicitur. hoc dum aut semen concipit, menses aut aliud quippiam ab utero purgatur, ac multò magis tempore partus, aperitur. reliquo tempore conniuet, dum uerò utero gerit mucco

ſa quadam ac uiſcida humiditate adeo obſtruitur, ut nullo pacto ingredi aliquid, aut agredi poſſit. Ab hoc orificio ad ſuperius extremum uniuerſa regio Fundus uteri ē, cuius magnitudo... adultis tanta ē, quantā quis manu penitus concludere poſſet. Figura ei rotunda, quæ ad oblongum tendit, quo uerò ad anterius & poſterius depreſſa, pars ſuperior in obtuſum ſemicirculum deſinere conſueuit, Semicirculi huius extrema & quoquo pacto prominentia, nuper naſcentis uituli capitis, cuius cornua erumpere nondum ceperunt ſimilia, Vteri Cornua appellāda ſunt. In quæ inſeri uaſa ſemen deferentia diximus. Duas habet tunicas, quarū externa peritonæi pars eſt, reliqua peculiaris, ſubſtantia craſſa, neruoſa, omni fibrarum genere prædita. Interior ſuperficies, figura exteriori reſponderet, niſi ſuperior pars quoquo pacto depræſſior eſſet, ut uniuerſā cauitatem in dextrum & ſiniſtrum dirimere uelle uideatur, licet aliquādo mulieris uterum diſſecuerim cuius ſuperior pars ſemicirculi modo caua erat, ut in duos manifeſtos apices deſineret, inſtar nouæ lunæ, qui cornubus à Gal. deſcriptis maxime reſpondebant. in interiori autem cauitate, à media ſuperiori regione ſeptum oriebatur, paulo tenuius quam reliqua fundi tunica, ad regionem uſq; orificio uteri uicinam proten

debatur,qui uniuerſum fundum in duas cauitates dextram, & ſiniſtram diuidebat. Ad inſtitutum itaq; redeuntes. reliquum eſt uteri. Acetabula deſcribere. Venæ et arteriæ tũ à ſeminarijs uaſis,tũ à regione oſſis ilium ad uterum pertingentes,in innumeros ſurculos diuiduntur. quarum ora ad internam uteri ſuperficiem deſinentia, proprie acetabula dicuntur, eæ in his tantum manifeſte apparent,quæ obitus tempore utero gerebant, aut paulò ante partum ediderant, uel menſtrua purgatione detinebantur. in reliquis imperceptibilia ſunt.

Alligantur uterus cum uarijs partibus, ſiquidem fundi pars ſuperior & cornua, medio peritonæo & ſeminarijs uaſis cum ſuperioribus partibus. cum alijs medijs latis quibuſdam ac laxis ueluti membranis, ex peritonæo etiam ortis, utrinq; una, quæ proprie uteri ligamenta dicuntur, carnoſis fibris donata, muſculorum uicem ſubeunt, ut motu quodam arbitrario uterum ſurſum alliciant. Cum ueſſica parte anteriori, poſteriori cum recto inteſtino. Vterus eiuſq; partes figura ac ſitus, à noſtri corporis opifice ea concinnitate fabricatus eſt, ut quam commodiſſime uiri ſemen muliebri admixtum capere, ad embrionis formationem continere, & augeſcentis fœtus magnitudinem dilatari, uſq; ad

partus tempus, alimenta aliunde ei aduenientia, pro tẽporis neceſſitate impertiri, ac ad partum uſq; detinere poſſit.

Fœtus tria ſecum habet inuolucra, quorum extimũ, Chorion, & Secunda dicitur, uenas & arterias continens, quibus internæ uteri fundi ſuperſitiei alligantur. Secundum Allantoides, quod pueri urinam ſuſcipit. Tertium Amnios & Anniculum, quod ſudorem detinet. A ſecundæ uaſis omnibus duæ efformantur uenæ, duæq; arteriæ. Venæ cum primum pueri umbilicum ĩgreſſæ ſunt, in unicam abeunt, quæ ad iecoris caua pergit. Arteriarum quælibet, ad ſacri oſſis regionem accedens, cum deſcendentis aortæ ramis unitur. A fundo ueſſicæ, Vas prodit per umbilicum ad allantoidem membranam urinam ad ipſam deferens, Vrinaculum appellatũ. Duæ itaq; uenæ & totidem Arteriæ, & Vrinaculum, quinq; ſunt uaſa, quibus Vmbilicus conſtat.

DE ORIS PARTIBUS Laringe Aspera Arteria & Gula. Cap. 21:

VT Autem rite omnia prosequamur, ad oris partes redire cõueniet, in eo enim, pro usuum uarietate, uarias partes contineri expediit, Parte exteriori labia sunt, quorum substantia mollis est, ac musculosa, ut facile ex hominis arbitrio, ad quamlibet partem moueri possint siquidem horum motibus fit, ut os claudatur ac aperiatur, ad dextrum sinistrumue, intus aut extra agatur. Integũtur labia cute quam cum adeo cum musculis permixta sit, ut uix ab eis secerni possit, musculosam appellari diximus. Sequntur maxillæ, dentibus munitæ, de quibus supra egimus. Gingiuæ dentibus circum positæ sunt, ut maxillarum ossa, aliorũ more, sensili aliqua parte tegantur, Lingua item ex musculosis fibris multifariam commistis constat, quo fit, ut omni motus differẽtia præditam esse uideamus, ut facile omnes usus ad quos comparata est cõmode perficere possit, ea enim emissa, quid uis lambere, & minuta quædam ad os deferre ualemus. contenta autẽ intra dentium limites, ad uocem uarie articulandam, ac uaria literarum elementa proferenda, uarios for-

mandos sibilos bellissime conducit. Cibaria autem quæ mandi uolunt, primum cũ Palato, Gingiuis, ac Dentibus gustat, siquæ eorum particula aut durior sit, ut mandi nequeat, aut male sapiat ab optimis secernit, et ad expuitionem parat. quod uero palato arridet, dum manditur, adiuta à buccis, inter dentes continet, ab una oris parte ad aliam transfert, ac deniq; uarie mouet, ut nulla eius pars immansa remaneat. At demum ad deglutiendum adiuuat, primum enim clauso ore ac cõmissis dentibus, & retento spiritu mansum cibum colligit, ac ad fauces impellit, impulsum præmit, deorsũ ad gulæ initium agens. interim secundum & tertium par musculorum ossis yoidis, os ipsum una cum Laringe & Gulæ orificio sursum trahunt, quo fit ut cibus à lingua & laringe depulsus, in gulæ initium alioqui patentem, & obuiam euntem, immictitur, immissum deorsum etiam agit tertium par musculorum laringis communium. hi enim musculi dum contrahuntur necessario gulæ principium constringunt, atq; exprimũt, quicquid in eius cauitate detinetur. ad superiora autem non fertur ob linguæ depressionem, & laringis eleuationem reliquum est ut in gulam decidat, quæ cũ laxa sit facile illud admictit. Ad hoc etiam adiuuant rectæ fibræ quibus interna gulæ tunica constat. His.

.n.attractrix facultas perficitur. transuersæ item quæ externam gulæ tunicam efformant, expellendo ingesta cibaria, ad uentriculi cauitatem usq; detrudunt, atq; ita fit deglutitio.

In fine palati particula quædam pendet carnea, mollis, rotunda, ex latiuscula basi in acutum desinens. hæc Gargar, Gargareon, & Gurgulio dicitur, cuius usus est, in inspiratione aerem alterare, ne ita frigidus in pulmonem feratur, & siquid pulueris secum detulerit huic hereat. at in expiratione, dum uocem formare studemus, ad altiorem & elegantiorem ipsam formandam confrrre, clare ostendunt ij, quibus ab ulcere aliquo eroditur, aut radicitus abscinditur his, n. demissa ac rauca uox remanet.

A Gurgulione & radice linguæ fauces sitæ sunt, græcis Pharinx, quæ hinc & inde duo glandosa, mollia, & laxa corpora obtinent, quæ Tonsillas appellari diximus, harum usus est, peculiari humiditate uniuersum os eiusq; partes omnes, necnon laringem, & gulam humectare. appellatur autem huiusmodi humiditas Saliua. Linguæ radici adiacet cartilagineum quoddam corpus triangulare, cuius basis superiori parti scutiformis cartilaginis laringis pingui, molliq;, membrana adnectitur, cuspis uerò arithenoidis apices supe

rans efficit, ut dum usus exposcit, larĩgis foramen operiat, ne cibi portio aut potus affatim in asperam arteriam decidat particulam hanc Græci. Epiglottida, latini laringis operculum appellare consueuerunt.

Larinx caput est asperæ arteriæ, constat aũt ex tribus cartilaginibus, quarũ quæ anteriorem partẽ occupat, parte interna sinuata est, externa uerò gibba, ut scuti figuram emuletur, ac propterea Peltalis et Scuti formis dicta. Secunda ex pluribus constat, huius pars anterior hinc & inde ac primæ cõnexa protenditur, in exiguos processus desinens. posterior uerò, infra duas exigit extantias, quas duo sinus in tertia cartilagine exculpti excipiunt. hac articulatione fit ut secunda hæc cartilago maxime sit mobilis. supra ẽt dũ adhuc sua membrana tegitur, extantiam quandã habet, labri modo ad posteriora uergentem, cuius beneficio fit, ut quæ uomuntur in laringem non incidant. secundã hãc cartilaginẽ Arithenoidẽ Græci uocãt. huius ẽt duo latera dextrũ uz & sinistrũ pingui mẽbrana iunguntur, qua fit ut facile à musculis ad hoc munus fabricatis eorũ interstitiũ dilatetur, atq; astringatur. His aũt ĩteriacet, oblõga scissurã. ab ãterioribus ad posteriora ad asperæ arteriæ cauitatẽ pergẽs, q̃; Glottida hoc ẽ Lingulã ueteres anatomicos appellasse autumãdũ ẽ.

hancq; statuisse præcipuum uocis instrumentum, ea enim simillima est ligulis tibiarum, constringitur item ac dilatatur quò uox,aut grauis,aut acuta,mediã uerò figuram obtinens,mediocris pro nostro arbitrio formetur.fiunt autem hæc agentibus laringis musculis,his enim quiescentibus seu expirare, aut efflare contingat,uox minime formatur.

Est & tertia laringis cartilago dictis subiecta, quæ exacte est circularis,parte tamen anteriori tenuis posteriore qua gulæ adheret lata:huic nullum peculiare nomen ab antiquis inditum est,& propterea Innominatam appellarunt.tres istæ cartilagines his musculis iunguntur,quos laringis proprios dicemus. ipsa autem larinx cum adiacentibus partibus alijs,quos cõmunes appellabimus. laringis etiam parte exteriori qua connectitur cum aspera arteria.duæ glandulæ adiacent,utrinq; una,quæ sua humiditate asperam arteriam irrigare,ac humectam seruare semper possunt. Aspera arteria,quæ græcis Trachea dicitur, ut inspirationi uiam præbere & uox commode formari possit,fistulæ modo longam,cauam,rotundam, cartilaginea substantia ne c[illegible]cideret,esse expedit.at minime solida ut ex unica tantum cartilagine,ne ceruicis flexionem impediret,qua de re ex multis cartilagineis

ueluti

ueluti anulis ſtructa eſt, qui neruoſa quadam membrana ad inuicem connectuntur, ipſi autem cartilaginei anuli non ſunt exacte circulares, cum parte poſteriori qua aſpera arteria gulæ annectitur, ex ſolis membranis conſtituta ſit, ne uidelicet cibi tranſitum in deglutione impediat. Præter membranoſum ligamentũ quo cartilagines alligantur duas habet tunicas, quarum exterior tenuis eſt, qua media cum circumiacentibus partibus connectitur. at reliqua internam ſuperficiem ueſtit, craſſior, ualida, pingui illita humore. craſſa quidẽ ut si forte eius ſuperficies erodatur reliqum remaneat. ualida autem ut in ualida tuſſi, tranſitu cuiuſpiã acris, putridi, aut quomodolibet afficere apti humoris, aut uitiati aeris obſiſtere ualeat. at pinguis humor in interna ſuperficie illitus efficit, ut quicquid acre ac moleſtum in aſperam arteriam inciderit obtundatur, ac facile dilabatur. neq; aſpernandus eſt alius eius uſus, quo Videlicet uox ipſa facilius ac concinnius formetur, hoc autem duplici indicio innoteſcit, alterum ab his ſumitur qui tubis tibijſue canere conſueuerunt, ij enim ſemper humido aliquo ſua inſtrumenta reſpergunt, reliqum uerò ab eis qui tabe laborãt, quibus aſſiduus puris per aſperam arteriam tranſitus hanc tunicam abſumpſit, qui & difficile & raucam uocem ſedere conſpiciun=

tur. aspera autem arteria cum primum pulmonis regionem ingreditur, in duos insignes ramos diuiditur, dextrum & sinistrum, quorum quilibet in sui lateris pulmonem insertus, in plures ramos diuaricatur, qui iterũ in plures ac minores, donec in innumera minima diuidatur, qui tandem cum arteriæ uenalis extremis osculis insensibiliter uniantur, quo ductu inspiratus aer ab aspera arteria ad sinistrum cordis uentriculum ferri uerisimile est. ramorum autem asperæ arteriæ eadẽ est constructionis ratio, siquidem ex cartilagineis in posteriori parte deficientibus anulis constant, molli ligamento connexis, internam habent tunicam, licet proportione tenuiorem, usq; ad eorum extrema. reliqua ad pulmonem actinentia post cordis descriptionem pertractabimus.

DE HIS QVAE THORAX continet. Cap. 22.

THORAX Qui & uenter medius dicitur cordis gratia fabricatus est, omnes item ferè partes in eo contentæ cordi famulantur, harum autem præcipua actio est Respiratio, quæ constat Inspiratione & Expiratione, est autẽ Inspiratio aeris per os ac nares ad pulmones immissio. Expiratio inspirati aeris emissio,

quæ si citra strepitum fiat expiratio simpliciter appellatur, at si inspirati aeris copia cum motus uelocitate egredi cogatur Efflatio fiet, quam Vocis, Tussis, & Sternutamenti materiam esse, rascationem insuper & spuitionem efficere censemus. quæ omnia quomodo fiant, & quem præstent usum infra dicemus.

Aperto thorace, ac sublato osse pectorali, uenas ac arterias obseruare expedit, quæ à iugulo per internã pectoris ossis superficiem, deorsum sub rectis abdominis musculis, ad umbilici regionem feruntur, ibiq; cum alijs à pubis ossium regione ascendentibus committũtur, quorum congressu uterus cum mammis consentit.

Sunt autem Mammæ, in mulieribus præcipue lactantibus, corpora quædam, carne rara glandularum simili conflata, spongiosa ac multis anfractibus ad Papillam tendentibus concaua, quarum præcipuus usus est sanguinem in lac immutare, aptissimum infantium nutrimentum. cor item & alia in thorace contenta fouere & tutari possunt. Thorax uniuersus ĩ duas insignes cauitates diuisus est, dextrã u; & sinistrã. Harum internæ superficies membranis subcinguntur peritonæo similibus, quæ Membranæ costas succingentes appellantur, quibusdam (licet falsò) pleura, hoc.n. nomine Græci costam et latus appellãt oriũ

tur autem ex ligamentis quibus corpora uertebrarum thoracis connectuntur. ſubſtantia eis eſt tenuis, pelluci da, peritonæo durior. earum uſus ſunt coſtas ſuccinge re, quo fit ut pulmo, alioqui mollis, à coſtarum duritie non ledatur, omnibus item quæ in thorace continentur ſui portionem mittunt, ac circumtendunt, colligata itẽ retinent, & muniunt. Duæ iſtæ membranæ ſecundũ dorſi longitudinem contiguæ ſunt, at uerſus anteriora pergentes ſenſim abſcedunt, donec ad os pectoris acce dentes tantundem diſtent, quanta eſt eiuſdem oſſis la= titudo. hoc homini peculiare eſt, cum huic ſoli latum habere pectus conduxerit, at reliquis cum anguſtum habeant, has membranas à poſterioribus ad anteriera connexas eſſe expedijt. Septum itaq; duabus his mem branis conſtructum, appellatur Membrana thoracem intrinſecans, aut interſepiens. quibuſdam Mediaſtinũ. cuius uſus eſt diuidere thoracem in dextrum & ſini ſtrũ, ut si cõtigerit alterã partẽ perforari, reliqua re ſpirationẽ perficere poſſit. per hoc etiam ſeptũ ferun tur duo nerui ex ſurculis quarti quinti & ſexti paris neruorum ceruicis in unum coeuntibus, utrinq; unus, ad mediam regionem ſepti tranſuerſi. quorum beneficio uoluntario motu (ut cæteri muſculi) agitur. Eſt au= tem ſeptum tranſuuerſum quod Græcis Diaphrag=

ma, & Phrenes. dicitur, membraneus quidam muſculus, quo ad dextrum & ſiniſtrum tranſuerſo ſitu, ac ab anterioribus ad poſteriora oblique deſcendit. figura ferè circulari. ſubſtautia mediæ regionis & eius quæ uertebrarum corporibus adiacet membranoſa ac neruea, circumferentiæ autem eæ præcipue quæ latera & anteriorem partem reſpiciunt, exacte carneæ. parte eius inferiori peritonæi sũmitate, ſuperiori uerò ſubcingentium membranarũ baſi munitur, Peruium autem eſt duobus foraminibus, quorum quod in dextra parte locatum eſt uenæ cauæ iter præbet. quod uerò uerſus ſiniſtram, gulæ & neruis ad os uentriculi contendentibus. habet & ſinum in quem uertebræ unde oritur corpus inſeritur, & arteria aorta deſcendens pertranſit. de hoc etiam inter muſculos agemus. Huius præcipuus uſus eſt inſpiratio, q̃; ſolus ipſe perficere poteſt. alter quod diuidat thoracem ab imo uentre. munit item cauam uenam & gulam dum per ipſum tranſeunt. obliquo uerò ſitu unà cum inter coſtalibus muſculis. abdominis muſculis opponitur, ac ſiquis duabus opoſitis manibus cõprimeret. alui itẽ excrementa, urinam, & in partu fœtum, ac ſecundam deorſum trudit.

His uiſis Cor ſe offert, non quidem nudum ſed in

uolucro quodam contentum, quod Græci pericardiam, latini cordis Inuolucrum, & Capsulam cordis appellant. hoc eiusdem est figuræ cum ipso corde, amplitudine maiori ut cordis dilatationem non impediat, substantia ei membranea, utcunq; crassa, ac dura, Huius origo est ex uasis quæ in basi cordis cernuntur, quibus & uiam probet. neq; tantum his uasis connascitur, sed connectitur etiam dextra & posteriori parte membranis thoracem intersepientibus, sicut inferior regio superiori parti septi transuersi. huius usus sunt cor ipsum amplecti ac tueri, ne dum dilatatur in costas alioqui duras incidat, connexione item cum intersepientibus membranis, ac septo transuerso stabilire, ac firmius detineri potest. In mortuis inuolucrum hoc Aqueum quendam humorem continere conspicitur. num autem uiui etiam hunc habeamus, an morientibus, ex uitalium spiritum ac natiui caloris extinctione, refrigerato corde hanc gigni contingat, non satis liquet. quod si uiui etiam hanc habeamus, nulli dubiũ est, quin cor suapte natura calidum ac siccum humectare, eius etiam inuolucrum mollem, ac leuem seruare possit.

Aperta pericardia Cor nudatur, natiui caloris & uitalium spiritum fons & origo, arteriarum etiam principium, per quas uniuerso corpori uitam impertitur, cordis gratia omnia ferè quæ in thorace continen-

tur fabricata esse diximus. Cordis primo inspicienda est Coni figura, cuius basis exacte mediam thoracis regionem possides supra ad dextrum spectat cuspis uerò infra uergens sinistram occupat, connectitur autem cauæ uenæ, media eius in dextrum uentriculum insertione, pulmoni per uenam arterialem, & arteriam uenalem, cum uniuerso corpore per arteriam aortam. Exterior cordis tota superficies tenui admodum membrana circundatur, quæ uix ab eius corpore segregari potest, cui nerui adeo exigua propago inseritur, ut uix uideri possit, ex ea portione sextæ coniugationis neruorum è cerebro prodeuntium, quæ ad dextrum oris uentriculi latus inseritur explantata. Cordis corpus propria constat carne dura, ac omni fibrarum genere prædita, quibus trahere retinere ac quiduis expellere potest. In eo duæ sunt cauitates, seu sinus, aut uentriculi. quorum unus dexter est, sinister, alter. Dexter cordis sinus duobus foraminibus peruius est, quorum primum in dextro latere, insertio est uenæ cauæ, unde sanguis cordi suppeditatur. ex cuius portione quæ ad sinistrum uentriculum fertur, uitales spiritus gigni creditur. huic orificio tres præsunt membranæ, Hostiola et Valuulas appellant, quarum basis ab exteriore parte membranea ac lata

exoritur, desinunt autem in plures ueluti neruosas fibras, iaculorum spiculis haud absimiles, ad interiora connexa. harum beneficio fit, ut dum cor constringitur sanguis ad cauam uenam non regrediatur. Secundum dextri uentriculi foramen ad Venam Arterialem pergit, est autem Vena Arterialis uas quoddam, ab hoc cordis uentriculo originem ducens, quod cum sanguinem contineat, neq; pulsu præditum sit, uena dicitur. At quia arteriarum more duplici constat tunica arterialis appellatur. Huius munus est deferre sanguinem ad pulmones alendos, & propterea statim ab exortu in duos insignes ramos diuiditur, quæ postmodum per uniuersos pulmones in innumeros diuaricatur. huius uasis initio, tres præficiuntur membranæ, ab intus foras untantes, quarum beneficio fit, ut dum cor dilatatur, sanguis ad uenam arterialem delatus regredi non ualeat. Dextrum hunc cordis uentriculum pulmonum gratia fabricatum esse inde constat, quod animalia quæ pulmone carent dextro etiam cordis uentriculo destituantur. at quæ pulmones habent, utpotè quibus solis respirare datum est omnia, dextrum etiam habent cordis uentriculum, nec interest magna ne sint an parua. In hoc etiam uelut in reliquis omnibus, opifici nostri corporis solertiã demirari expediet, ut qui dex-

trum hunc uentriculum cordis parte circundedit laxa, tenui, ac (si ad ſiniſtrum comparaueris) molli, quæ etiam ablata cor nihilominus orbicularem figuram, ac si nihil dempſeris ſeruare conſpicimus. Siniſter autem cordis ſinus, craſſiore ac duriore cordis ſubſtantia continentur. cuius pars quæ uentriculos interiacet Ventriculorum ſeptum appellatur, nullo euidenti foramine peruiũ. ſanguis autem à dextro ad ſiniſtrum uẽtriculum pergens, per ſepti corpus, ac inſenſiles eius meatus percolatur, quo fit ut tenuiſſimi, elaborati, ac ſinceri ſanguinis portio, ad ſiniſtrum uentriculum feratur. quò facilius in uitalium ſpirituum ſubſtantiam immutari poſſit. Sunt & in ſiniſtro hoc uẽtriculo duo foramina, quorum unum ad Arteriam Venalem pergit, eſt autem Arteria Venalis uas quodã ex hoc cordis orificio ortum ducens, dicitur autem arteria cum aeri ac ſpiritui iter præbeat, uenalis autem, quod uenarum more unica conſtet tunica, & hac tenui. quò inſpiratum aerem ab aſpera arteria & fuliginoſa excrementa à ſiniſtro cordis uentriculo facilius admittere, necnon tenuis ſanguinis aliquid pulmoni miniſtrare, et cordis motum ſequi facilius poſſet. Hæc ab ortu ſtatim in duas partes ſcinditur, quarum una in dextram pulmonis partem, in ſiniſtram reliqua multifariam di

uisa inseritur, Vsus autem præbet admodnm necessarios, nam inspiratum aerem ad cor defert, pro regeneratione simul & moderatione uitalium spirituum, & fuliginosa excrementa in corde genita suscipit, ut per expirationem excernantur. huic orificio duæ membranæ præficiuntur, extra intus nutantes, illis figura penitus similes, quæ primo dextri sinus orificio præfici dicebamus. prohibent autem ne sanguis & spiritus dũ cor constringitur, affatim in arteriam uenalem confluant.

Reliquum huius uentriculi orificium ad arteriam, aorta pertinet, unde & oritur. à qua arteriæ omnes quæ in animantis corpore sunt diuaricantur (si asperam & uenalem dempseris) quarum seriem paulò post enarrabimus. Huic etiam orificio tres præsunt membranæ ab intus extra spectantes, illis similes, quas in uenæ Arterialis orificio reperiri ostendebamus, quarum munere fit, ut sanguis & spiritus dum cor constringitur ad arteriam aortã propulsi, corde dilatato, ad sinistrum cordis uentriculum unde manauerant, regredi impediantur. neq; eo inficias dictas membranas & alias omnes quæ uentriculorum orificijs præficiuntur, non adeo adamussim orificia claudere, ut nihil penitus regredi possit. satis tamen erit si uni=

uersam sanguinis & spirituum quantitatem regurgitare non permittant. Vterq; uentriculus iuxta cordis basim parte quadam abundat extante, cuticulari, molli, & extensibili, basi oblonga, in acutum & oblongum desinente, utrinq; una. has ob figuræ cum humanis auribus similitudinem Cordi Aures appellant, intus cauitatem habent exteriori magnitudini ac figuræ respondentem, nec ambigo cum Gale: asserere, harum usum esse, ut dum cordis uentriculi cōstringuntur sanguinis & spirituum impetum suscipere possit, ne aut uasa disrumpantur, aut, ut ego autumo, maior sanguinis quantitas à corde effluat, quàm expediat, uel quod is tantum effluat qui plenè elaboratus est, reliquū in aures excipiatur.

Ex animantibus quædam in basi cordis quà arteria aorti oritur substantiam quardam habent cartilagineam, aut etiam ossis naturam æmulantem, in homine autem ea regione cordis, caro quoquo pacto durior ac densior conspicitur, ex his omnibus patere arbitror cum quibus etiam partibus cor connectatur.

DE PVLMONE, ET reliquis quæ in Thorace continentur Cap. 23



PVLMONEM Constantia uasa iam enumerata sunt, Aspera uidelicet Arteria, Vena Arterialis, & Arteria Venalis. quæ oĩa in pulmonem inseri dicebamus. pari enim ratione, qua Aspera Arteria, reliqua ambo stati m ab ortu ĩ duos præcipuos ramos diuidũtur dextrum, uidelicet, & sinistrum. qui postmodum in alios, & ij in alios minores, donec in multa minima finiant. Spatia inter hæc uasa substantia quadam opplentur molli, rara, ac leui, Stæbe dicta, quam peculiarem Pulmonis carnem censemus, ad inspirati aeris alterationem, & concoctionem idoneam. hæc cum dictis uasis pulmonem efformant, magnitudine & figura continentis thoracis: imitatur figura bubulũ unguem. diuiditur autem primo in dextrum & sinistrum, quæ etiam in plura diuiduntur. siquidem sinistra pars in duas secatur, cum ea thoracis cauitas utpotè quæ ferè totam cordis molem contineat, minorem pulmoni locum præbeat, at dextra cum in maiori cauitate contineatur

maiore etiam mole ſabricata eſt, & propterea in tres partes diuiſa. harum diuiſionum præcipuũ uſum eſſe autumo, ut una ex his aliquo pacto leſa, reliquis illeſis actio non deperdatur. Appellant autem huiuſmodi pulmonis partes Lobos, ſeu Fibras, aut Pinnulas. Tertium autem dextræ partis lobum ideo factum eſſe Galen. aſſerit, ut uenæ cauæ ſubſternatur, ad reſpirationem autem nihil conferre. Verum ac in re quid pro Galeno dicam non habeo. cum obſeruauerim in omnibus, quæ ſecui hominum cadaueribus, ſecui aut plurima, uenæ cauæ portionem quæ à ſepto tranſuerſo ad cor porrigitur, ſubiectis partibus ſuccingentis membranæ portione, dorſo alligatam, ac nullibi ſegregatam, ut quintus pulmonis lobus ei ſubſterni poſſit, in canibus uerò ac alijs animalibus quæ longo thorace prædita ſunt, dicta uenæ cauæ portio à ſubiectis partibus ſegregata eſt, ideoq; quinta pulmonis fibra ei ſubſtrata. Nec obſtat, mea quidẽ ſententia Siluij ratio, quod uidelicet, ex hominibus aliqui longiori thorace prediti ſunt, aliqui breuiori. cum uideamus pectorale os quibuſdam hominibus unicum eſſe, alijs duobus, tribuſue & uſq; ad ſeptem oſſibus cõſtare. ideoq; fieri ut quæ paucis conſtant breuiora quæ pluribus longiora ſint. quodquidem à ueritate admodum abhorret. cum uulgo

notum sit, ex sternis quædam longiora paucis admodum, uelut ex breuioribus multis constare ossibus. neque ullam seruari in hoc osse magnitudinis & numeri rationem. ut hinc dignoscere queas, num necessario quintus lobus pulmonis ad hoc fabricatus sit, ut cauæ uenæ substernatur. cum præcipue perspicuum sit, dum mortuorum pulmones follibus (ut in pulmonis ostensione uti consueuimus) inflamus, quintum lobum nihilominus q̃ cæteros intumescere, quo præspicuum fit, dum inspiramus etiam ipsum uelut reliqui respirationem perficere. at uenæ substerniculum in hominibus esse nullo modo potest, hæc de pulmonis fabrica.

Præter Cauæ Venæ, & Arteriæ Aorti ac nonnullorum neruorum ductum, de quibus suo loco agemus, reliqua in hoc uentre est Via per quam cibus & potus ab ore ad uentriculũ feruntur. Oesophagon græci appellant, nos Gulã doctos quosdã imitati, appellare possumus: Auic: Meri, quibusdam ẽt Stomachus dicitur, cum re uera stomachi nomen non integræ huic parti congruat, sed eius regioni, quæ cum uentriculo unitur, quam etiam antiqui Cor appellauere. cum lesa ea parte eadem superueniant symptomata, quæ læso corde accidere consueuerunt. Oritur ex palati tunica, reliquam eius compositionem ac usum supra retuli-

mus. Ductus eius est, à faucibus ad quartam thoracis uertebram recte deorsum asperæ arteriæ substrata ferri. inde, ut Arteriæ Aortæ descendenti cederet, ad dextrum latus inclinat, ad nonam thoracis uertebram, unde abscedens uersus anteriora simul & sinistrum latus, ad septi transuersi mediam regionem, quæ neruosa est, contendit. quod ubi præteriit, quoquo pacto latior factus, ueutriculum efformare incipit. hæc de thorace & partibus in eo contentis, reliquum est ut actionum quarũdam quæ hac in regione fiunt agamus, cuiusmodi est Respiratio.

DE RESPIRATIONE eiusq; partibus, Vocis formatione, Tussi, & Sternutatione Cap. 24.



VLMONIS Substantia & constructionis ratio clarissime ostendunt, eum inspiratum aerem alterare ne ita frigidus ad cor accederet, ad cor per peculiaria uasa transmittere. calidiorem item ac crassiorem à calore cordis redditum reuocare, ac extramittere posse. horum quædam ipse sine alterius adminiculo per

ficere potest, ut inspiratum aerem admittere, impertire cordi, sicut etiam à corde suscipere. cum raræ ac mollis sit substantiæ, & alterare ob loci caliditatem. At aerem immittere, quod Inspirare appellamus, & emittere quod Expirare dicimus, ipse absq; aliarum partium adiumento minime potest. siquidem Respiratio, cuius inspiratio & expiratio partes sunt, ex animalis arbitrio fieri constat, arbitrarij autem motus musculi sunt instrumenta, quibus cum pulmo careat, alijs uti musculis ad hanc functionem obeundam expediet. ut autem aerem admittat ipsum ampliorem fieri necesse est, neq; amplior fiet nisi thoracis amplitudo, quā totam implet. dilatetur. Thoracis autem dilatatio à musculis ad id dicatis perficitur, Thorace dilatato Pulmo & ipse dilatatur, at ne uacuum quid in pulmone remaneat, aerem per os & asperam arteriam alioqui semper patentem trahit, sic fit inspiratio. Hanc dum naturalis est ac moderata, solius septi transuersi motus perficit, at cum magna indigemus, urgente uidelicet necessitate, alijs thoracem dilatantibus musculis perficitur. ut quandoq; etiam scapulas ac narium pinnas mouentium ope indigeamus.

Expiratio autem naturalis & moderata nullius musculi actione perficitur, sed concidente sua sponte

Septo

Septo Transuerso thoracis cauitas minor redditi, quo fit ut aer ui uacui inspiratus, patenti per asperam arteriam uia extra mittantur sicq; fit Expiratio. At ubi ui quadam inspiratum aerem emitti usus exposcit. Efflatio fit quæ & ipsa à musculis perficiatur opportet, erunt autem qui maxime & celeriter thoracem constringere possunt, huiusmodi censentur intercostales omnes, & cum his abdominis musculi y.n. quiescente, ac laxiore septo transuerso agentes. quæ in imo uentre continentur ad superiora compellunt, quo fit ut contentus in pulmone aer, cum uiolentia quædam emitti, sicq; Efflatio effici cogatur. Efflatio itaq; hæc pro uarietate agentium. Vocis, Tussis, & sternutationis materia efficitur, siquidem efflantibus nobis uocē formare libuerit, Varingis musculis utimur, qui lingulam præparent, ut in ea non modo uox formari queat sed pro nostro artificio arbitratu grauis fiat, aut acuta

Tussis item fit, si expirationem magna præcedit inspiratio, inspiratusq; aer clausa à musculis laringis lingula, aliquantisper detentus in unum coactus, reserata lingula, agentibus omnibus musculis efflationi deseruientibus, magno cum impetu erumpat, ac tussim efficiat. cū usus est ut quicquid in aspera arteria et thoracis cauitas præter naturā detinetur, excerni possit.

Capilli primum occurrunt, ex fuliginosis, crassis, ac deustis excrementis, ab inferius ad caput delatis, geniti. ij cerebrum alioqui frigidum fouent, ab extrinseeus occurrentibus tuentur, & ornamento sunt. Succedit Cutis, & Membrana cornosa de quibus supra egimus. sub his est membrana perierania græcis dicta, quod cranion hoc est caluariam circundet. ortum ducit ex neruosis ligamentis à crassa cerebri meninge per suturas emissis. circundat totam caluariam, excepta ea parte qua cum uertebris articulatur. alligatur, autem suturis. Hac ablata, alia tenuis membrana caluæ adhæret, quam calua periosteon appellare poterimus. de caluaria & eius partibus supra tractatum est. Qua dempta Cerebrum ambientes Membranæ sequntur. sunt autem numero duæ externa uidelicet, & interna. appellant has peculiari uocabulo Meningas, Externa crassa est, Crassa Meninx, Crassa mēbrana, & Dura Mater appellatur. externa huius superficies perpetuo caluariæ adhæret, cum qua etiam alligatur per omnes suturarum regiones, medijs neruosis nexibus, quos ab eadem pronasci ac Pericraniā efformare dicebamus. alijs etiam in locis cum caluaria alligatur medijs uasis ab eadem exporrectis. Huius summa regio quæ per capitis longitudinem fer-

tur, cauitatem habet, magnæ uenæ instar, a posteriori basi capitis duplex oritur, dextra uidelicet, & sinistra. in has desinunt Venæ Iugulares internæ. cum primum enim caluariam ingressæ sunt, in crassæ meningis portionem sibi obuiam inseruntur, quæ uenas excipiens deinceps earum munere fungitur, sursumq; delatæ ad occipitium uniuntur, inde per capitis longitudinem ad anteriora fertur, donec ad regionem ossis Cribriformis angustior facta terminetur. appellant huiusmodi cauitatem græci Lenon, latini Torcular. huius & uasorum quæ in eo seminantur, & ab eo enascuntur historiam diligentius prosequar, in tractatione Venarum & Arteriarum. Dissecta alicubi hac membrana crassities & densitas considerandæ sunt, nec tantum cerebrum undequaq; ambit, sed ad intimas usq; regiones sui portiones mittens, totam cerebri substantiam in tres portiones dirimit. Primo.n. per capitis latitudinem in anterius & posterius. anteriorem portionem Cerebrum appellant, posteriorem Cerebellum. Cerebrum etiam in duas partes per capitis longitudinem diuidit, nempe in dextrum & sinistrum. mittit item sui portiones ad spinalem medullam connectendam, cum neruis uisorijs, ad efformandam Corneam oculorum tunicam, cum alijs item neruis ad eorum

tutelam. Præcipuus autem eius usus est, cum mediæ sit quo ad duritiem & mollitiem consistentiæ, inter cerebrum quod mollissimnm est omnium animantis partium, & os quod durissimum, interponi. ne uidelicet molle à duro ledatur. uasa item ab infernis capitis partibus ad supernas defert, & cerebrum in tres diuidit partes.

Hanc dum auferimus uasa considerare oportet, à Leno utrinq; nascentia, ac in Tenuem Membranã inserta, dum. n. Cerebrum contrahitur tantum à crassa membrana dictare consonum est, quanta est soluta à reliquis partibus horum uasorum longitudo. quorum usus præter communem cum reliquis uenis & arterijs est, Cerebrum ipsum suspensũ detinere ne concidat.

Ablata crassa membrana alia se offert Tenuis Meninx, Tenuis Membrana, & Pia Mater, dicta. substãtia tenui, uasis innumeris intertexta, nõ mõ cerebrum undequaq; ambit, sed & ad imam usq; eius substantiam pertingens, per omnes scissuras quæ multiformes, ac in modum conuolutorum intestinorum in externa superficie uisuntur permeans, ad uentriculos usq; pertingit. uasa deferens. Hæc cerebrum continet ne deffluat, uasa tuto defert, & cum uisorio neruo

ad Vueam oculi tunicam efformandam sui portionem mittit Spinalem Medullam & cæteros etiam neruos, uti crassa, conuestit. est & propugnaculum cerebri aduersus Duræ Meningis duritiem. tenuis est ac mollis, ut cerebrum dilatari permittat, minus grauet, & facile in omnes partes se insinuet.

Quod Cerebrũ totũ in Cerebrũ et Cerebellũ diuidatur, Cerebrum itẽ in dextrũ et sinistrũ, antea diximus. Inter duas Cerebri anterioris partes ampla, ac profunda scissura uisitur, in cuius ima longitudine pars quædã cerebri ẽ, quam ab albedine, & duriuscula substantia. Regionem callum referentem appellant. Ablata utrinq; cerebri portione quæ callum referenti supereminet, cauitates apparent, utrinq; una, dextra & sinistra. sunt autem eæ, duo Anteriores Ventriculi Cerebri hos dirimit corpus quodam, in media sui regione ob tenuitatem pellucens, in morem lapidis specularis. dicitur aũt Ventriculorũ Septũ. Ventriculorum figura curua est, & inæqualis, interna superficie tenui admodum ac fragili membrana obducuntur. interna eorum cauitas plexu quodam insignitur, tenuissimis uenis ac arterijs, à Tenuis Meningis portione munitis, cõflatus, Choroides Plexus nũcu

patur. Duo hi uentriculi in ima ferè media regione uniuntur, ut ex ambobus unus fiat meatus, ad posteriora pergens. hunc aliqui Tertium Ventriculum appellant, quidam Viam ab anterioribus uentriculis ad posteriorem. Superiacet huic meatui corpus quodam, ex paulò duriore cerebri substantia, usu & constructione Testudini Forniciue simili, quapropter græcis Pselloides, latinis Testudinatum & Forniciforme Corpus dicitur. hoc quemadmodum & reliquæ cerebri cauitates, licet in mortuis subiectis partibus adhærere comperiantur, moriente animali accidere conijcimus. ut ueluti reliqua omnes molles animalis partes, ita & cerebri uitalibus spiritibus destitutæ flaccescunt, ac concidunt. Ab huius uiæ initio, meatus quidã rectè deorsum fertur ad Infundibulum, de quo paulò infra agemus. Via autem ipsa ad posteriora pergens in cerebri substantiam immersa, tandem per medias nates delata, in posteriorem uentriculum erumpit. In postrema etiam uiæ huius regione, inter multiplices uasorum diuaricationes, ibi conspicuas, exiguum quodam corpus inuenitur, substantia ferè cerebro simili, figura pineæ nucis fructui, obid Conarion græcis dictum. huius usus est uasa ipsa tueri, ne in fortibus motionibus disrumpantur. Tandem meatum hunc finiũt

duo corpuſcula ſub rotunda, quæ ob ſimilitudinem Glutia & Didymi à græcis à latinis Nates dicũtur. corpora hæc bifida etiam apparent, ac propterea dici poſſe autumo, ut ſuperiores duæ protuberantiæ Didyni à græcis appellatæ ſint. remanente. n. adhuc ĩ ſua ſede Conario, penis eſſe uidetur, ſub quo duæ illæ protuberantiæ ueluti teſtes pendeant. at reliquæ inferiores, Glutia appellantur. inde meatus alius deorſum ad baſim cerebri fertur, in adenem ibi locatum deſinens. duo ij meatus quos in infundibulum ferri diximus, aliquando unum abſq; ſepto aliquo fuiſſe obſeruauimus. per hunc circumiacentium cerebri & cauitatum excrementa ad glandem feruntur, ut inde ad palatum excernantur. Infundibnlum, & Peluis dicitur, ob munus quo fungitur, & figuram infundibulo ſimilem. eſt ſiquidem ſupra amplum, infra uerò anguſtum. hanc craſſæ membranæ regionem, quæ circum glandem duplicatur, occupat in bobus Plexus retiformis de quo in Arteriarum tractatu agemus. Cerebellum reliquum eſt, quod poſticam capitis regionem occupare dicebamus. ſubſtantia cerebro quoquo pacto durior. Vniuerſa eius ſuperficies crebris ueluti ſulcis à dextro ad ſiniſtrum uarie prodeuntibus decoratur. exigit & in parte anteriori è regione Natium cerebri, pro-

cessum quendam ad infernam uergentem, in acutum desinentem ac tenuibus transuersis rugis donatum, ut contractus uermis esse uideatur, & propterea Vermis dicitur, ab huius extremo ad cerebri latera, tenues duo tendines explantantur.

Dempto hoc uermiformi processu, posterior Ventriculus conspicitur, in quem desinit uia quam ab anterioribus uentriculis, sub Forniciformi, corpore, & per medias nates ferri dicebamus. est autem posterior Vẽtriculus cauitas cuiuslibet anteriorum multò minor, inter Cerebellum & Cerebri basim, unde spinalis medulla oritur, sita.

Cerebellum connectitur cum cerebro duobus tenuibus processibus, ab anteriori eius basi hinc & inde ad posteriorem cerebri basim, Vnde spinalis medulla initium sumere liquido patet. habet & cerebellum in parte inferiori alium processum dicto Vermiformi penitus similem, inferius uersus anteriora ac superiora tendentem, è directo cuspidis alterius desinentem quem facilè conspicies, si cerebellum è sua sede eleuans, infernam eius partem fueris contemplatus.

Non est mirum si authores in cerebri partium usu adeo dissentiant, cum coniectura tantum id assequi liceat. quod itaq; cerebrum animæ ratiocinatricis

domicilium ſit,quod item poſterior Ventriculus inter omnes cerebri partes principatum obtineat,ibiq; potiſſimum fiant omnes animæ principes facultates, licet haud contemnendus ſit tertius uentriculus, & Galeni teſtimonio fatemur, & experimento poſtremũ facilè comprobare poſſumus. reliquæ enim cerebri partes omnes licet uulnerentur, non tamen ſtatim mors ſequitur, at uulnerato poſteriori uentriculo extemplo animal concidere, ac interire conſpicimus. num autem uermiformis ille proceſſus contrahi & extendi hominis arbitrio poſſit, hoc etiam Galeni cenſura fateri nil prohibet. a

DE VENIS.

Cap. 26.



VENARVM Principium Iecur poſuimus, ſunt autem Venæ partes quædam membranis fabricatæ, omni fibrarum genere conſtantes, quarum munus eſt, ſanguinem à iecore confectum per uniuerſum corpus deferre, ac quoquo pacto etiam concoquere. Cum autem de ipſa Vena Porte, & Vena item

Arteriali ſupra egerimus, nunc de uena caua & eius diſtributionis ratione tractare propoſuimus.

Cauæ igitur uenæ caudex ex gibbis iecoris egreſſus, alteram ſui portionem ad ſuperiora mittens, primum duos exiguos ſurculos ſepto tranſuerſo elargitur. inde cor pertingens, eius baſi uenulam porrigit coronæ modo cingentem, ac uniuerſam cordis ſuperficiē irrigãtem, Coronalis uena dicitur. inde ſtatim aperta ad ſiniſtrum latus cauæ tunica, in dextrum cordis uentriculum inſinuata, largiſſime ſanguinem offert. Cum autem caudex cor preterijt, ex dextra ſui parte ramus oritur inſignis, deorſum per latus corporum uertebrarum, ad ſecundam lumborum delatus. in quolibet octo ſpatiorum intercoſtalium inferiorum ſui lateris ramos ex ſe ponit. ad ſiniſtra autem intercoſtalia aliquãdo ab initio ſtatim ramum mittit, qui in ipſa omnia abſumatur. quandoq; pluribus etiam ramulis uarie diſtributis adea contendit.

Ramus iſte cum ex altera parte coniuge lateat, Vena ſine pari, aut ſine coniuge appellatur, cuius munere fit ut inter coſtalia octo inferiorum coſtarum in utroq; latere nutriantur.

Supradictæ ex ortum duos porrigit ramos, quorum quilibet in ſui lateris intercoſtalia tria ſuperiora diui

tur. Caudex sursum pergens, ad iugulum bipartitur. Dexter ramus, huius .n. lateris uenas deinceps prosequar, primo ex eius anteriori parte ramos deorsum mittit, per internam sterni regionem primum ad intercostalia anterioris partis spatia, & sui lateris Mãmam, per mucronatæ cartilaginis latus emergens, sub recto Abdominis musculon delapsus, in ipsum & cutim absumitur & tandem paulò supra umbilicũ surculis aliquot uenæ sub eodem musculo ab infernis delatæ, extremis ramis obuia, fit ut uterus cum mammis consentiat. E regione dicti rami, alium exiguũ ad duo superiora intercostalia mittere consueuit, quoties secũdus euumeratus ad superiora hæc intercostalia non accedit. cum fieri etiam in quibusdam obseruarim, ut secundus ille non adsit, sed ex hoc tertio omnia quatuor superiora nutriantur. Inde in duos & insignes ramos diuiditur, quorum inferior qui ad alam porrigit & propterea Axillaris uena dicitur, primum ex altiori sui parte tantũ oblique sursum ad laterales processus uertebrarum mittit. qui in adiacentes musculos & spinalem medullam magnam sui partem absumens, saluaticam subit, per foramen sibi & comiti arteriæ insculptum, in posteriori parte dextri processus eorum quibus cum prima uertebra caput articulatur, atq;

hanc primam uenam caluariam ingredientium numerabimus. Ipſe autem inferior rammus ad axillam contendens, cum primum è thoracis cauitate excidit, duos ex ſe ramos promit. ad thoracis anteriora unum, ex quo etiam ad mamillam portio fertur, reliquum ad poſteriora. Ab his externæ thoracis partes alũtur. Porrigit item exiguos ſurculos glandulis in Ala ad uaſorum firmitudinem conſtitutis, & paulò poſt ab inferna ſui parte ramum promit, qui per latus ad ſpurias uſq; coſtas defertur. & ex ſuperiori parte, ex eadem ferè regione ſurculos muſculis Cubitum extendentibus impartitur. Paulò autem ſupra mediam brachij regionem per imos muſculos delatus, inſignem ſui propaginem ad exterius humeri tuberculum, in muſculos inde exhorientes, & paulò inferius ubi ad cutim ramilum delegauerit bipartitus, inferiorem ramum ad cutim emergentem, ad internam regionem interioris tuberculi humeri, uenam conſtituit quæ Axillaris, Interna, Baſilica, Epatis & Iecoraria dicitur. Hæc in duos partita, Vnam ſui partem ad communẽ ſeu Mediam conſtituendam mittit, aliam ſub cute per cubiti longitudinem ad extremam uſq; manum defert, cuius portio ad exteriora pergens, ad eam poſtbrachialis regionem accedens, quæ inter oſſa minimo &

anulari reſpondentia conſtituta. Splenetica & Saluatella dicitur. Inde ad extremos uſq; digitos exporretta terminatur. at priusq; carpi articulum attingat, ramum etiam ad internam extremæ manus regionem delegat. Superior uerò ramus in alto occultatus, una cum Arteria ad extremos uſq; digitos delatus, eaſdē cum Arteria diuiſiones ſortitur. Alter totius diuaricationis ſupra iugulum ſuperior ramus, in tres inſignes propagines diuiſus eſt. quarum Prima inferior ac gracilior, ſurſum per latus Aſperæ Arteriæ una cum Arteria ſoporaria, qua neruus ſextæ coniugationis deſcendit, ad caput fertur. Hæc Vena Iugularis interna cenſetur, & ramulos ad Aſperam Arteriam & alias adiacentes partes tribuit. prius tamen quam Caluariam ingrediatur, in duos ramos diſciſſa, maiorē obliqꝫ retrorſum per baſim caluariæ, quam cum ramulo Soporalis Arteriæ ingreditur, per foramen unde ſexta neruorum coniugatio delabitur. Hanc ſecundam uenā caluariam ingredientium conſtituemus. cum tamen prius ad muſculos gulæ ſubſtratos ſui portionem largiatur. Minor uerò ramus relicta ſoporali Arteria, cum primum ad auditus organa ramulū inſerit, caluariā per peculiare ſibi inſculptum foramen ingreditur. Tertia hæc erit Vena caluariam ingredientium.

Secunda propago in diuiſione quæ fit ſupra

iugulum media, in collo uerò exterior. Venæ iugularis externa dicitur. Hæc priusq; auris regionem attingat bipartitur, ac exterior eius tenus ad faciei cutem, eiuſdemq; muſculos, tempus, poſt aurem, & uniuerſam aũt ſui laterit capitis cutẽ. in fronte tamen cũ coniuge alterius iateris coiens. ſurſum delata, iterum q; bipartita, in Sincipitis cutem abſumitur. At ramus inter ior interiora oris ſubiens, ad inferiores faucium glandulis, laringem, & glandulas laringi adnatas, & muſculos oſſis yoidis, & reliquas faucium ſedes ramos porriget, quorum craſſior ſub lingua repens, ĩ ipſum multiplici ſobole abſumitur. reliquum uerò in duos ramos diuiditur, quorum poſterior ad poſteriorem Mamillaris proceſſus ſedem accedens, per foramen ibi ad hoc paratum ingreditur. eſto hæc quarta caluariam ingredientium uena. Anterior uerò ſui ſurculum per palatum ad ſedem oculi mittit, qui per foramen unde ſecunda neruorum coniugatio è cerebro elabitur ingreſſa, in obuiam ſibi craſſam meningem in aliquot deducta ſurculos abſcinditur. Quinta hæc erit uena caluariam ingrediens. Reliquum autem per uaſis amplitudinem per unum ex cribri formis oſſis foraminibus ingrediens, in craſſam membranam ceſſat, eritq; ſexta uena quæ caluariam ingreditur. Tertia uerò exterior, à

rior, à

rior, à superiori eius parte statim surculum ad adiacentes musculos, et eius regionis cutem mittit. inde ad summum humerum contendens, humerariam uenam constituit. Ibiq; epomidis Musculo & cuti ramũ elargitur, inde deorsum per anteriorem humeri regionem ad cubiti flexionem contendit, ibiq; Vena Humeraria Externa, & Cephalica dicitur. cumq; ad communem constituendam sui portionem miserit, deorsum ad exteriorem ulnæ regionem properat. ac ubi brachiale attigerit. ab alijs ramis maior redditus, in plura diuisus, uniuersam ferè exteriorem postbrachialis regionem, ac digitos Indicem, Medium, ac Anularem irrigat.

Ex ĩterna et externa ad cubiti articulum pertinentibus uenis, ramos ad mediam constituendam ferri dicebamus. dicti .n. rami in unum coeuntes tertiam constant uenam, quæ Vena Media, & Cõmunis appellatur. Hæc paulò infra cubiti flexuram exorta, è media latitudine uersus exteriora pergens, priusq; inferius caput radij attingat, in duas propagines diuisa. una sursum inter Pollicem & Indicem ascendens, uarie discinditur. hunc etiam ramum Cephalicam & uenam capitis appellant. reliquam ad exteriorem metacarpij regionem cum alijs commistam dispensat.

VENAE CAVAE AD IN fernas partes distributio Cap, 27.



CVM Primum Cauæ truncus è Iecoris gibbis delabitur, ad dorsi medium contendens, ex sinistro latere exiguum ramum ad sinistri renis tunicam porrigit, Paulò uerò infra, ex utroq; latere insignes propagines mittit ad Renes, quas Emulgentes uenas appellant. ex ortus autem earum pro uarietate situs ipsorum renum uariari cernitur. Consueuit autem dexter sinistro elatior esse. Ex superiori parte emulgentis sinistræ exoritur ramus, qui ad sinistri renis tunicam disseminatur, Licet hic in quibusdam ex cauæ uenæ trunco è regione dextri oriatur. Ab inferiori parte sinistræ emulgentis, sinistra uena seminaria, cum dextra ex trũco cauæ uenæ paulò infra emulgentium exortum nascatur. De harum autem ductu supra diximus. Ipsa autem caua deorsum ad principium ossis sacri delata, descendenti arteriæ subijcitur, ac in duos æquales ramos scinditur. Cum tamen prius toto hoc ductu, ex sui lateribus ad eius regionis spinalem Medullam, adia-

tentia uertebrarum corpora, & laterales abdominis partes mictat. Ex ramis autem in quos diuidi dicebamus, singuli ad sui lateris crus descendunt. quorum dexter (sinistri .n. eadem ratio) missis primum in superiora foramina anterioris partis Sacri ossis surculis aliquot, ex inferiori sui parte insignem promit ramum. cuius exterior portio in musculos externæ regionis ossis ilium, clunis cutē, et adiacentes partes absumitur. reliqua deorsum lata ad inferna sacri ossis foramina, Ani musculos, unde perhemorroidas melancholicum sanguinem expurgari creditur. Vessicæ fundum, & ceruicem, Vteri ceruicem, per quas utero gerentes primis mensibus menses mittere crediderim, & humiliorem fundi partem partitur. Reliquum uerò eius ab alia trunci portione auctum per foramen ossis pubis emergens, in crus delata, ac ad mediam usq; posteriorem femoris regionem in plures discissa ramos cessat, omnibus per quas pertransit partibus surculos multifariam mittens. Paulò autem infra dictæ exortum, ex anteriori trunci parte ramus abscedit, qui sursũ delatus peritonæo, abdominis musculis, et cuti ramos offerens, Sub recto musculo conscendit, & supra umbilici regionem in plures ramos scissa, ei inperceptibiliter committitur, quæ à iugulo per inter-

nam sterni regionem huic ferebatur. quarum etiam congressu fieri dicebamus, ut. Vterus cum Mamillis consortium habeat. Nec multò post ex interna parte propaginem mittit, quæ in uiris ad scrotum & penem, in mulieribus in pudendi alas, & Nimpham pergit. Præcipua autem uena ampla è peritonæi cauitate excidens, ad inguen una cum coniuge Arteria delapsa, inter glandulas ibi ad diuisionis uasorum firmitudinē et tutelā numerosas, multifariam diuiditur. quorum exterior ac minor ramus ad anteriora coxendicis, & eiusdem regionis musculos, atq; cutim. Interior uerò ditto insignior, ad anteriorem femoris cutē properans, deorsum ad uicinam cutem aliquot mittens propagines, ad interiora genu contendit. atq; inde per internam tibiæ partem, ad interiorem Malleolum delata, per anteriorem eius partem, in quibusdam per interiorem, ad superiorem plantæ regionem, cum alijs uarie cōmiscenda accedit. Hanc in regione Genu, Poplitis uenam à priscis appellari autumo. uelut iuxta malleolum. Saphenam. Media uerò & quidem maior uena, paulò post ab externa sede ad uicinos Musculos & externæ femoris regionis cutem surculum mittit paulo supra genu cessantem. Ab interna uerò aliū grandiusculum, ad adiacentes partes. Infra autem me

diam femoris regionem delata duas profert propagines, quæ simul coeuntes, unam portionem sursum ad femoris cutem, reliquam uerò deorsum per poplitem, & posteriora tibiæ, ad calcem usq; toto ductu in suræ cutem multifida spargitur. Inde paululum supra genu articulum ab interna sui parte insignem propaginem porrigit, per poplitem internam suræ cutis, & posteriorem interioris malleoli regionem, ad calcis interiora. ibiq; diuisa superiorem propaginem ad superiorem partem plantæ, infernam per inferiora eiusdem ad magnum digitum contendunt. Paulò autem infra huius exortũ, ab exteriori parte ramũ promit, qui per exteriorem suræ regionem, ad anteriora externi malleoli, ad superiorem partẽ plantæ, è regione digiti minimi, in plures ramos digestus alijsq; commistus, terminatur. toto uerò ductu ad conterminam cutem surculos elargiens. Post dictæ exortum per medios musculos infra mediam cruris regionem bifida, exteriorem ramum supra pedis articulum in duos diuisum mittit, cuius interior ramus cum alijs in superiori parte plantæ existentibus admiscetur, exterior uerò quoquo pacto profundior per exteriora plantæ, ad minimum & ei adiacentem digitos delegatur. At interior totius uenæ ramus per imos musculos ad internam calcis re-

gionem delatus, tripartito discinditur. cuius rami uniuersam inferiorem plãtæ, partẽ ad digitos usq; exporriguntur, ibiq; finiunt. Venæ quæ multiplices in intestinis conspiciuntur, sunt extremæ radices aut surculi uenæ portæ. quæ in omnibus intestinis obseruantur, non eodem tamen numero, cum ad intestini recti extremũ una tantum feratur, ibi in plures surculos diuisa, quæ per coli sinistra ad sinistrũ latus caudicis uenæ portæ pergit, unde facilè crediderĩ, melancholicũ sanguinẽ per hemorrhoidas expurgari. In Colo raræ uisũtur, at frequentes ĩ Ileo, & ieuno frequentissimæ, Duodeno uerò rarissime. hæ omnes unum efformant caudicem, qui ad caua iecoris contendens, ex dextra sui parte ad dextram fundi uentriculi partem ramum mittit, cuius superiores surculi in uentriculum, inferni in omentum absumuntur. Alium autem exiguũ ad posteriora fundi uentriculi dextri. Ex sinistra sui parte insignis ramus ad lien contendit, qui statim ab ortu, ex inferna parte inferioris mẽbranæ omenti ac dextræ coli regioni mittit. inde aliam ad coli reliquum & sinistram partẽ inferioris membranæ omenti. ex superiori uerò parte primum ramulum gibbæ uentriculi parti offert, alium & quidem maiorem per uentriculi posteriora, ad eius orificium. cuius portio per elatiora uentriculi ad

eius inferius orificiũ porrigitur, at reliqua uentriculi os coronæ modo ambiens diffunditur. unde à liene ad uentriculum melancholicũ succũ expurgari uerisimile est. Totius autem huius uenæ reliquum in multos ramos scissum, lienis cauum ingreditur, cum prius ex superioribus ramis surculos ad uentriculũ miserit, ex infernis uerò ad sinistrã fundi uentriculi regionem, & anteriorem membranam omenti. Magnus autẽ uenæ portæ caudex ad caua iecoris contendens, duos surculos uessicæ bilis offert. et inde per iecoris corpus diffusa, ad omnes eius partes dispergitur. Vena autem Arterialis ex elatiori parte dextri uẽtriculi cordis originem ducens, cur hoc nomine donetur. quos præstet usus, cuius sit substantiæ & quòd in pulmones dispensetur superius diximus.

DE ARTERIIS. Cap. 28.



RTERIAE Ex elatiori parte sinistri uentriculi cordis originem ducunt. Duplici cõstant tunica, quarũ exterior tenuis ẽ, fibris rectis et paucis obliquis. interior multò crassior ac durior, trãsuersis donatur fibris. Sicut aũt uenæ sanguinẽ pro alimẽto ꝑ uniuersũ corpus deferũt, ita arteriarũ munus ẽ, à corde uitales spiritus

cum pauco & tenui ſanguine, ad ſingulas corporis partes deferre. Vt autem Vitalium Spiritum ac Caloris Natiui Simmetria ſeruari commode poſſent, pulſatilis ei motus à corde impertitus eſt, ut dum dilatatur, frigido ac puro aere per inſenſiles corporis meatus tracto refrigeretur natiuus calor, dum autem conſtringuntur idem aer calidior craſſior & excrementitius redditus expellatur.

Cum primum Arteria ipſa magna quam Aortã appellant, ſiniſtrum cordis ſinum, unde ortum ducit, egredi contendit, ſupra membranulas huic orificio præpoſitas, duas exiguas mittit propagines, cordis baſim coronæ inſtar cingentes, ac per uniuerſam cordis ſuperficiem digeſtas, quæ Coronariæ Arteriæ dicũtur, Cum primum autem Pericardiæ tunicam perforauit, iuxta quintam Thoracis uertebram, in duas ſcinditur, quarum maior deorſum fluxa, ad omnes infernas partes mittitur. Reliqua ſtatim ex ſiniſtra ſui portione inſignem expronit ramum, qui oblique ſurſum ad ſiniſtram clauiculam contendens, ex poſteriori ſui parte propaginem offert, quæ ad tranſuerſos proceſſus uertebrarum ceruicis conuerſa, ſpinali medullæ & adiacentibus muſculis geniculatim ſurculos exibens, cum coniuge uena caluariam ingreditur. Eſt autem hæc

prima ex arterijs caluariam ingrediens. At è regione eiusdem, ramulum ad primum intercostale spatium mittit, & ex anteriori alium, per internam sterni superficiem, unà cum coniuge uena, ad mucronatam cartilaginem fertur. & inde sub recto Abdominis musculo paulum supra umbilicum cessat. reliquam autem huius rami dispensationem, in dextri enarratione audies. Paulò supra dicti rami exortum truncus ipse, in dextrum & sinistrum diuiditur, hunc de industria nunc omitto. Dexter autem ramus adhuc bifidus, internam sui portionem sursum unà cũ coniuge dextra iugulari uena, sub musculis, eodẽ ducta itinere, per quẽ neruus sextæ coniugationis demittitur. Dicitur autem græcis Carotis. latinis Soporaria Arteria Dextra. prius autem quam caluariam ingrediatur ex interna sui parte surculos mittit ad Laringẽ, Fauces, & Linguã, ab exteriori uerò insignis propago prodit. quæ ramulum Buccis offert, & inde bifida anteriorem portionẽ ad Tempus dextrum, posteriorem post eiusdẽ lateris aurem indeq; sursum delata desinit. Interior autem dextræ soporariæ ramus & ipse bifidus, minorem ramum ad posteriora mittens, unà cũ comite uena, per foramen sexti paris neruorum cerebri caluariam ingrediens, Secunda caluariam ingredientium Arteria

a Maior uerò ſurſum latus per peculiare ſibi paratũ obliquum foramen, ad cerebri baſim contendit, quem Tertiam caluariam ingredientiũ arteriam dicemus. At externa dextræ portionis Arteria, primum ex inferna parte ramum porrigit ad duo ſuperiora intercoſtalia ſpatia, inde eam quæ (ut in ſiniſtra dicebamus) per tranſuerſos proceſſus uertebrarum cum comite uena ad caluariam fertur, & aliam quæ per internam ſterni ſuperficiem, ad umbilici regionem pertinet. Inde paulò poſt, ex ſuperiori parte ramum ędit, qui uerſus poſteriora oblique ſurſum ad occipitium aſcendens, in muſculos ceruicem occupantes abſumitur. Alium uerò exiguum ſurculum ad ſcapulæ cauitatẽ occupantes muſculos. Inde ad Axillam contendens ramulum humeri articulo, & ſummo humero impertit, & paulò poſt ex anteriori regione alium, qui multiplici diuiſione in muſculos anteriorem partem Toracis occupantes abſumitur. Ab inferna ſui parte alium qui ad ſpurias uſq; coſtas per latus demiſſus, multifariam in eius regionis muſculos externos terminatur. Inde cũ axillari uena, & quarto manum petentium neruo inter muſculos latens, ad internam articuli cubiti regionem fertur. cum primum tamen ſupra mediam regionem brachij ramulum poſteriori humeri regioni

porrexerit, & alios item duos cubiti articulo. A cubiti [illegible]
articulo in internã & externã diuiditur. externa Vlnæ attensa, ad carpi articulũ delata, ramulũ primo externæ uolæ regioni offert, inde trisulca unã sui sobolẽ ad minimi digiti utrũq; latus diuisã, aliã ad anularis, tertiam ad externũ Medij latus delegat. At interna se [illegible]
cundũ radij longitudinẽ delata, priusq̃ carpi articulũ attingat, è profundo emergens, sub cutem adit. Ibiq; arteriã constituit, quæ à medicis tangi solet, in ipso uerò carpi articulo ramulũ expromit, qui uersus externa [illegible]
delatus, inter pollicẽ & indicem digitos se insinuat. reliquarũ eius portionũ exterior bifida ad pollicis latera. media & ipsa bifida ad indicis latera, at reliqua in internum latus medij absumitur. Distributio itaq; Arteriæ Aortæ ad superiora tendentis in hunc se ha [illegible]
bet modũ. Descendens aũt Aorta cũ primũ ad inferiora delabitur, ex posteriori sui parte ramulos mittit binos, ad otto inferiora intercostalia spatia, cũ costis ad anteriora usq; protensos. Accedens aũt ad septum trã [illegible]
suersum duas ei propagines impertitur, et paulò post ex anteriori sui parte duas insignes propagines, aut unã quæ statim ab ortu in duas diuiditur promit. quarum quæ ad dextram pergit, primũ ad humiliorem omenti membranã et dextrã uentriculi partẽ et duode

num inteſtinum, & fundum uentriculi, & ſuperiorem membranam omenti, ad iecur inſuper, & bilis ueſſicam peculiares ſurculos delegat. Atq; ad ſiniſtrã ex elatiori ſui parte ramum ſurſum tendentem, per poſteriorem partem ad os uentriculi accedens, ſiniſtra ſui portione uentriculi os coronæ modo cingit, dextra uerò per elatiorem uentriculi partem delata iuxta inferius orificium deſinit. & in toto ductu ad uicinas uẽtriculi partes ſurculos mittit. Ipſa autem ſiniſtra arteria ad lienẽ contendens, ex inferna ſui parte ramos ad inferiorẽ omenti membranam mittit, reliquũ in duos primnm ramos diuidiiur, quorum ſuperior priusq̃; lienẽ ingrediatur in quatuor, inferior in tres diuiſi ramos, in lienis cauum inſeruntur. at ex elatiori ramo ad ſiniſtrã uentriculi partẽ duo ſurculi mittuntur, ueluti etiam ex infimo alij, ad ſiniſtram fundi uentriculi, & exterioris membranæ omenti regionẽ. Data eſt autẽ lieni maior arteriæ portio quam eius magnitudini congruere uideatur, cum ſit lien uiſcus frigidum. & ſanguis ei delegatus terreus, frigidus, ac craſſus. ut autem confici poſſit copia caloris indiguit, quod illi ex magnitudine & multitudine arteriarum contigiſſe autumandum eſt. A dictorum exortu ex anteriori ſui parte, alius & quidem magnus emergit ramus ad ſupe-

riorem partem Meſenterij, & inde multifariam diuiſus, ad Ieiunū Ileum, & ſuperiorem Coli partem diſpenſatur. Ab hac paulò inferius, ex quolibet latere ſinguli prodeunt rami inſignes, ad ſingulos renes immiſſi, ac emulgentium uenarum modo diuaricati. quorum alter altero elatior eſſe conſueuit. Has etiã Emulgentes Arterias appellant, quarum beneficio fit, ut ſiquid ſeroſæ humiditatis cum ſanguine ad arterias feratur, per has à renibus trahi poſſit. cum non nihil etiam ad renum frigiditatem contemperandam conducere uideantur. Ab anteriori autem magnæ arteriæ ſede, paulò infra emulgentium exortum Seminales Arteriæ prodeunt, qnarum hiſtoriam ſupra enarrauimus Sub ſeminarijs ex anteriori arteriæ parte, alius emergit ramus, ad inferiorem ſedem Meſenterij, & Coli inteſtini partē, quæ à lienis regione ad recti initiū pergit, et deniq; in ipſum rectum inteſtinum abſumitur. E regione autem ſingularum uertebrarum ex parte ſui poſteriore duas profert propagines, in uertebras, peritonæum, & muſculos uertebris adiacentis. eæ Verò quæ ſupra oſſis ſacri regionem exoriuntur, reliquis nuper enarratis ampliores, ad abdominis uſq; latera multiplici diuiſione protendūtur. Caudex autem cum primum Sacri oſſis ſuperna attigerit, uenæ cauæ

penitus ſuperpoſitum in duos truncos bipartitur, dextrum uidelicet & ſiniſtrum. Dexter autem, huius. n. deinceps ſeriem proſequemur, ab ipſa ſtatim diuiſione ſurculos aliquos ad ſui lateris oſſis ſacri internã regionem, qui per foramina ſuperiora ingreſſi, ad eius regionis ſpinalem medullam. & tandem per poſteriora foramina elapſi, ad muſculos qui oſſis ſacri poſteriora occupant delegantur. Ex interna item ſui parte inſignem propaginem promit, in tres adhuc diuiſam. quarum poſterior ad externam ſedem oſſis ilij properans, in muſculos abſumitur, qui eã regionẽ & coxendicis articulum integunt. Anterior uerò, in uiris, ueſſicæ fundo ac ceruici, peni & ano ramulos elargitur. mulieribus autẽ ad humillora fundi ac ceruicis uteri, & ueſſicæ fundum. At media, primo Arteriam quæ ab umbilico fertur, in nondum natis admictit, quæ in adultis tãq; inutilis reddita, fili modo tenuis uiſitur. ipſa autem media arteria ad pubis oſſis grande foramẽ accedens, portionem magnæ Crus patentis arteriæ aſſumit. ea autem propagine adaucta, cum comite uena è dicto pubis oſſis foramine elapſa, in muſculos foramen illud obturantes, & alios inde exortos abſumitur. eius uerò ſurculus infra mediũ femur pertingens, cum alio ad eandẽ regionẽ accedente unitus, pau

lò poſt ceſſat. Magnus uerò caudex priusq; è peritonæi cauitate excidat. Ramum ædit, qui per peritoneũ ſurſum ſub recto Abdominis muſculo, & ab exteriori latere multos ſurculos uicinis partibus diſpenſans, et ſurſum ſupra umbilicũ ceſſans, alteri fit obuius, quẽ ad eandem regione à ſupernis pertingere dicebamus. Magna uerò Arteria cum peritonæum ſuperauit, ramulum ad pubis oſſium commiſſuram, & penẽ ſpargit. inde ad femur delata, ex anteriori parte ramum mittit. ad anteriores muſculos femoris. ex interna uerò ad internos muſculos alium, cuius extremum genu pertingit. huius etiam ſurculus cum alio paulò ſupra enarrato coit. ipſa uerò magna arteria ad poſteriora conuoluta, ramulum muſculis ibi locatis porrigens, per media duo inferiora femoris capita Genu articulum pertingens, duos effert ſurculos, internam & externam genu regionem irrigantes. & paulò poſt ab externa ſui parte ramum, ad externos & anteriores muſculos delegat. ipſa autem infra mediam ſuræ regionem bipartita eſt, cuius interior ramus inter calcem et tibiæ os delatus, calci exiguum ſurculum offerens, ad inferiora plantæ inter muſculos in tres dirimitur propagines, quarũ ĩterna ad pollicis ĩferna delata, ac bifida ceſſat. Media et ipſa bifida ad ĩdicis latera, Terti

ad internum Medij digiti latus. Exterior autem ramus deorsum inter fibulam & calcem surculum eis offerens, & alium maiorem ad superioris plantæ externã regionẽ mittit. inde ad plantæ interna tripartitus, exteriorem sobolem in extremo bipartitam minimo digito, Mediam etiam bifidam ad anularis utrumq; latus, reliquam integram ad externum medij digiti lalus.

VENAE ET ARTERIAE
Caluariam ingredientes
Cap. 29.


ENAE Iugularis & Arteriæ soporariæ posteriores rami, quos secundam uenam & secundam arteriam caluariam ingredientium numerauimus, in crassæ membranæ corpus insertæ, paulo post uniuntur. atq; ibi uenarum & arteriarum tunicæ desinunt. ipsum autem membranæ corpus scinditur, ac earum munere fungitur, non in his modo sed in omnibus uasis ipsam pertingentibus. Verum quo clariora reddantur omnia, magnas amplitudines seu sinus aut cauitates in ipsa

existentes

exiſtentes quatuor ſtatuimus, quarum prima erit dextra ab inferiori parte in quã dictæ uenæ & Arteriæ propagines deſinunt. Inde ad latus pergens ſurſum oblique ad poſteriora aſcẽdit, ad occipitiũ. Secunda autem ſiniſtra eodẽ modo ad occiput delata. Tertia, quæ ab occipite ad ſuperna per capitis longitudinem uſq; ad ima frontis porrigitur, At Quarta quæ ab occipitis regione in qua reliquæ uniebantur incipiens, recte uerſus interiora ad capitis centrum fertur. quod autẽ hæ cauitates non modo uenarum ſed & arteriarum munere fungantur perſpicuum ex hoc eſſe poteſt. quod ad eas uenæ pariter & arteriæ ingrediantur, et quod arteriarum modo pulſant. Quæ autem ex ipſis Lenum græcis latinis Torcular appelletur, haud ſatis liquet. cum non modo parti in quam omnes concurrunt aut ſoli qnartæ cauitati id nomen conuenire uideatur, ſed multò magis Tertiæ cauitati. ex eius enim tota longitudine rami ad infernas partes demittuntur, per quos, uelut ex torculari uinũ et ſanguis defluit. Prima itaq; cauitas à dictorum uaſorum unione incipiens, paulò poſt uenam & arteriam recipit, quas ſecundas numerauimus. inde paulò ſuperius uenam quã quartam appellauimus. & ſurſum ad occipitis poſteriora contendens, ex ſuperiori ſui parte per membra-

nam ſurculos delegat. Secunda cauitas in ſuo latere ijſdem uaſis conſtat, & eodem pergens itinere, ad occiput cũ prima congreditur. Tertia à dictarũ cõgreſſu incipiẽs, per uerticẽ et frontẽ ad nariũ uſq; foramina pertingens ramos mittit ex ſuperiori ſui parte toto ductu qua caluariã attingit. hi cũ his qui ab externa cute per ſuturas & foramina ad eam regionem pertinent congrediuntur. Ex lateralibus uero coſtis (habent.n. oẽs eæ cauitates trianguli figuram) uaſa certo quodam ordine digeſta egrediuntur, quæ ſemi digiti ſpatio ſoluta ſunt, inde in tenuem meningem inſerta, cum ea per omnes cerebri partes feruntur. Ab inferiori autem angulo per totam longitudinem ſurculi prodeunt, in craſſæ membranæ portionẽ cerebrum in dextrum & ſiniſtrum dirimentẽ abſumpti. Quarta cauitas primum ex e latiori angulo duos ramulos mittit ad ipſi connexam craſſæ membranæ portionẽ. & tertium maiorem per inferiora dictæ membranæ ad frontẽ uſq; porrectum, qui toto eius ductu ramulos ad ſuperiora latos profert, in eandem craſſæ membranæ portionem ceſſantes. poſt tertij rami exortum duos adhuc ſurculos profert, quorum dexter per dextrum latus regionis callum referentis, ad anteriora uſq; multipliciter diuiſus protenditur. Siniſter itẽ per

eiusdem regionis sinistrum, eadem seriæ procedit. A lateralibus angulis surculos etiam offert, ad duræ mēbranæ portionem, quæ cerebrum à cerebello diuidit. et paulò post ab inferiori costa ramum, cuius posterior surculus in tenuem meningem cerebellum ambientem absumitur, interior ad infernam regionem plexus choroidis sibi obuiam, Reliquum uerò quartæ cauitatis, è corpore duræ membranæ excidens, multifariam diuiditur, et eiusq; rami à conario fulciti, & portione tenuis meningis collecti, ad anteriora rectè, retis instar, conuoluti, per cauitatem quæ sub testudinato corpore uisitur contendētes, ad anteriora tertij uentriculi, uel meatus, qui ab anterioribus ad posteriorem uentriculum medius censetur, in duas diuiditur portiones, quarum dextra ad dextrum uentriculum reflexa, iterum multipliciter diuisa, in innumeros exiguos surculos ad inuicem implicitos, amplior redditus. atq; ita per uentriculi ductū ad posteriora fertur. ibiq; ramum à quarta cauitate admittens, deorsum ducta, iterum ud anteriora ad cerebri basim contendit, tertiæ dictæ arteriæ insignem portionem assumens. Dicitur antem huiusmodi uasorum implicatio Plexus Choroides, quē non abre quidem putauerim, ideo fabricatum esse, ut sanguis & spiritus hic magis elaborati, animalium spiri

tuum alimentum euadere poſſint.ut infra audies, Venæ autem iugularis internæ anterior portio, quam tertiam uenam caluariam ingredientium nominauimus. cũ primum caluariam ingreditur, ramos ex tertia arteria (uti audies) aſſociatur, craſſæ mẽbranæ corpus ĩgreſſa, multiplici ſerie diuiſa, uniuersũ ferè ſui lateris craſſam meningem irrigare conſpicitur, Harum etiã ductũ interna caluariæ ſuperficies impreſſũ affabre oſtendit. Arteriæ uerò ſoporariæ anterior ramus, quẽ tertiam arteriam caluariam ingredientium poſuimus, cum primum craſſam membranam ſuperauit, ab externa ſui parte propaginem mittit, cum iam dicta uena in craſſæ membranæ ſubſtantiam diſperſum. Ab interna aliũ qui per proprium foramen in narium amplitudinem procurrens, multifidus, ad naſi extremum deſinit. duo reliqui ac inter iam dictos medij ab inuicẽ deducti, antrorſum repentes, iterum in unum coeunt, & à coitu ſtatim in duos impares ramos deducuntur. Minor cum ſecundo pari neruorum ad oculum fertur, ad internam ſedem muſculorum temporalium ſurculos mittens. At maior cum ad craſſæ membranæ amplitudinem peruenerit, in duos ramos partitur, quorum unus multiplici ſobole in tenuem huius regionis membranam diffunditur. Alter tenuis membranæ portione

fulcitus, in multos exiguos inuicem complicatos surculos discissus, cū uasis à quarta cauitate demissis, Choroidem plexum efformare dicebamus. Quarta autem & quinta uena quas caluariam ingredi dicebamus, statim caluariam ingressæ, in obuias crassæ membranæ portiones in aliquot scissæ surculos absumuntur ac cessant.

De Reticulari autem & Mirabili Galeni plexu, quem Rete mirabile dicunt. cum nullibi in hominis cadauere multi occurrerit, quid dicam non habeo. hoc si mihi soli contigisset, utiq; meæ ignauiæ ascriberem. sed cum alij haud mediocres in hac re uiri idem asserere audiam, malo cum uiris his adeo exercitatis, ac nostræ tempestatis primarijs anatomicis, ueritati incumbere. quàm assenentatoris uicem subire, ac ne id quidem temerè. Sed hoc facto periculo in horum sententiam descendi. Arteriam soporalem ex qua plexum illum constitui dicebat Galenus, cuius anteriorē ramum tertiàm caluariam ingredientium statuimus, à collo ad caluariam nudauimus. & in crassam membranam insertam integram ac nullibi reticulari contextu diuisam, & iterum in unam abeuntem reperimus. donec eius insignis portio ad Choroidem plexum efformandum accedit. in quo quidem feteor in mini-

ma diuidi, eiusq; ramos ĩtricatæ retis modo implicari. ut hĩc discere liceat plexum hunc Choroidem ad hoc fabricasse nostri corpori opificem, ut ex sanguine & uitalibus spiritibus in hoc elaboratis, animales spiritus gigni & ali possint. ut ex hoc plexu tenuissimi rediti excidentes in anteriores uentriculos, inde per medium uentriculum ad posteriorem purissimi ferantur. sed de his hactenus. De Aspera autem arteria & Arteria uenali supra disseruimus.

DE NERVIS, Cap. 30.

Cerebrum cum sit sedes animæ ratiocinatrices, uarijs donatur facultatibus, quarum aliquas in ipsomet fieri, reliquas medijs neruis per alias partes corporis distribui oportuit. Quæ in ipso fiunt Principes dicuntur, Cogitatio. Imaginatio ac Memoria. quæ autẽ medijs neruis, in reliquis corporis partibus perficiuntur, sunt Sensus, & Motus qui ex nostro arbitrio fiunt, quos Arbitrarios seu Volũtarios motus appellant. sensificæ itaq; oẽs facultates ad partẽ quãlibet à cerebro medijs neruis delegantur. licet autẽ arbitrarij motus musculi sint instrumenta. motricẽ tamen facultatem à cerebro medijs neruis suscipiunt. de Neruis itaq;

nunc agendum. Nerui ex cerebro & spinali medulla oẽs originẽ ducãt, de cerebro iã egimus. Spinali autẽ medulla cũ sit ex cerebri basi cerebelliq; processibus exporrecta, cerebri uicaria dicta ẽ, ab ea enĩ nerui ferè oẽs oriuntur, est aũt hoc iure optimo à natura cõparatũ, ut uz cerebri portio per tutissimã regionẽ ad inferna exporrigeretur, ne ex cerebro nerui oẽs oriri ac longo adeo ductu ferri cogerẽtur. Differt autẽ à cerebro, quòd in capite non sit, & pulsu priuetur, ac peculiari Tunica integatur, quæ ipsã cũ reliquis mẽbranis muniat. est siquidem neruosa & ualida, oritur aũt ex ligamentis quæ corpora uertebrarum ad inuicem connectunt. At licet spinalis medullæ nomine meritò tunc gaudeat cum primum caluariam egreditur, nihil tamẽ prohibet à basi cerebri statim hoc nomine insigniri. ne autem reliquorum ordinem peruertamus, uniuersam medullarem substantiam quæ in caluaria continetur Cerebrum, reliquum uerò eius per spinam exporrectum. Spinalem Medullam appellemus. Oriuntur itaq; ex ipso cerebro neruorum coniugationes numero septem, si processus quos odoratus organa statuemus, cum caluariam, ut reliqui, non egrediantur, inter neruos non numeremus. Eleuatis itaq; anterioribus cerebri portionibus, quæ ad os cribri formæ exporrigun-

tur. Mamillares cerebri processus appellati, duo apparent corpuscula alba, duriora quam cerebri substãtia, oblõga, lata, ex ãteriori basi cerebri, qua ẽt uisorij neruj oriuntur, uersus anteriora exporrecta, cerebro cũ tenui menĩge adnexa, ad cribri formis ossis cauitates ad anteriorẽ earum partẽ à cerebro soluta ĩserũtur. hos processus aut frustra à nostri corporis opifice factos fuisse, quod absurdum est, uel odoratus organa statuere non dubitabo. quod etiam Galenum asseruisse coniicio in libro de instrumento odoratus. Verum cum is apud uos mutilus sit ac finis potissimum desideretur, in quo peculiarem quampiam partem odoratus instrumentum statuere proculdubio opus erat, nec aliquam præter hanc statuere potuisset. Ad neruos igitur redeuntes, post dictos processus prima neruorum coniugatio exoritur. Duo ij nerui, quilibet ad suum latus, statim in unum coeunt, ac paulò post iterum dirimuntur, quilibet ad sui lateris oculum pergens, Ophtici, et Visorij appellantur, cum oculis uidendi facultatem impertiant. Conuestiuntur autem portione, tum crassæ, tum etiam tenuis meningis. neutiquam mihi unquam perforati apparuere. qua autem ratione oculum efforment nunc audies.

OCVLI PARTES.

Cap. 31.



XTERIOR Oculi tunica, quæ anteriorem partem ad iridē usq; extrinsecus ambità pericrania oritur atq; appellatur Adnata, seu Coniunctiua, qua media oculus caluarie connectitur. Hac ad iridem usq; excoriata, uel etiā ablata, ablatisq; musculis oculum mouentibus, alia se offert tunica, à portione duræ meningis, quam cum neruis ferri dicebamus orta. Hæc ab oculi radice, seu parte in quam neruus inseritur in absolutum orbem dilatata, alba tota ad iridem usq; conspicitur. quod uerò eius ab iride circundatur, pellucidum politi cornu modo trāsparens, & propterea à græcis Ceratoides à latinis Cornea appellata. Expedijt autem eam cassam ac dénsam esse, ne facilè frangeretur, transparentem autē anteriori parte, ut uidendorum figuræ ac calores ad cristallinum peruenire possent. eadem tunica posteriore parte crassior est. ac durior, & propterea à barbaro latinis Sclirotica dicitur. Tenuis item membranæ portio cum uisorio neruo delata, & ipsa in orbicularē ac tenuem tunicam degenerat, quæ tamen anteriori in parte rotündum habet foramen, ac si ab acino uuæ pe

diculus ablatus esset, à quo tota tunica nomen mutuata est, appellaturq; Vuea. Foramen autem eius Pupilla dicitur. eadē tota ferè nigricat, alteriusue est coloris, à qua oculi cesij, Albi, aut Nigri, dicuntur. cū eius color per corneam transpareat. pars eius posterior à multitudine uenarum quas continet Secundina à quibusdam dicitur, alligantur autem ad iridem usq; cum cornea, medijs uasis ab eadem pronascentibus. pars uerò ab iride ad pupillam uelut ad posteriora compressa, à cornea abscendit. ut spatium aliquod albugineo humore plenum intercedat. Neruus autem ipse uisorius per internam uueæ superficiem ad mediam usq; oculi regionem dilatatus Retinam tunicam efformat, mollissimam quidem, ac si à reliquis seiungere uolueris, integram nequaquam poteris at si in unum coaceruabitur, uelut cerebri substantia apparebit. Ex media uueæ regione qua retina desinit, tenuis admodum ac pellucida oritur membrana, lineis quibusdam nigris, ciliorum instar, uelut à circumferentia ad centrum pergentibus, ad centrum autem usq; minime accedūt, sed usq; ad humoris cristallini circumferentiā. in superficie autem exteriori cristallini tenuissima est ut Araneæ nomine donari possit. Hæ sunt oculi tunicæ, quæ triplici humore opplentur. quorum qui anterio

rem oculi partem occupat,fluidus,ac clarus, Albugineus, Aqueusue appellatur. sub hoc in centro oculi corpus quodam molle,rotundum,ab anteriori ad posterius depræssum, purissimi christalli modo lucidum, ac propterea Christallinus humor dicitur. hoc corpus præcipuũ uisus organum statuendum censeo. A christallini sede ad oculi basim alter continetur humor, christallino mollior,nec ita pellucens, cum tamen non adeo ut albugineus diffluat,uitro colore similis, & propterea Vitreus appellatur, hæc de oculi fabrica.

Secunda neruorum coniugatio ex eadem cerebri basis regione,ad latera magis,per peculiaria foramina,ad oculos mouentes musculos tota absumitur.

Tertia autem coniugatio duplicem habet originẽ tenuior enim eius pars ex lateralibus basis cerebri regionibus,è directo originis spinalis medullæ,ad secundam coniugationem contendens,iisdem usa foraminibus,ad oculorum sedes fertur. ibiq; in quatuor partes diuiditur,quarum prima per peculiare foramen,in superiore oculi ambitu,ad superiorem genã,frontis musculum,ac cutim delegatur. Secunda per foramen in inferiori oculi ambitu,ad musculos superioris labij, et lateris nasi cõmunes,superius labrum, & gingiuam dentium incisoriorum supernorum fertur. Tertia per

peculiare foramen in maiori angulo oculi, ad internã tunicam nasi inseritu. Quarta per magnum foramē in minori angulo, ad internam temporales musculi regionem. Reliqua uerò ac maior huius coniugationis portio, ex eadē regione magis tamē uersus medium basis exorta uarie in temporales, massetères, buccam mouentes musculos, faciei cutem, gingiuas. Dentesq; omnes, atq; inferius labrum disseminatur. magnu tamen eius portio in cutim linguæ absumitur, ut gustus organum facilè censeri possit.

Quarta coniugatio paulò infra Tertiam exorta, eodē utitur foramine, et ad palati tunicam efformandam absumitur. ut ea etiam cum lingua gingiuis ac dentibus gustare possit.

Quinta coniugatio, uelut Tertia, duplicem habet originem, minor nanq; portio ex media ferè basi cerebri inter maiores exorta, duplex emergit. quæ uersus anteriora, per cerebri basim tendens, tandem crassam meningem perforans, ac per peculiaria foramina caluariam egressa, in temporales & in ore delitescentes musculos absumitur.

Reliqua & quidem maior, quintæ coniugationis portio, ex eadem regione sed magis ad latera ortum ducens, per peculiare foramen aliquanto progressa,

primum ramum ex ſe promit, ad anteriora uergentem, qui unà cum ſurculo alio uerſus poſteriora exorto, per cæcum foramen immiſſo, & exigua Tertiæ coniugationis propagine aucto, in Tēporarios, Maſſeteres, & buccarum muſculos, ac eius regionis cutem abſumitur. Maior uerò huius coniugationis portio, in auditorium meatum elapſa, tunicam efformat, uarias huius meatus partes obliuiens, ac tandem tria iam dicta auditus oſſicula complectens, præcipuum auditus organum conſtituit.

Sexta paulò infra enaſcens, multifida, uariæ diſcinditur. primo enim ramos ex ſe ad ceruicem occupantes, & laringis muſculos mittit. inde cum ſeptima unita, deorſum contendens, cum primum thoracis cauitatem ingreditur, magnam ſui propaginem per coſtarum radices demittit. quæ ad lumborum uſq; regionem delata, alijs augetur neruorum propaginibus, eorum uidelicet qui per uniuerſam dictus regionem à ſpinali medulla exoriuntur.

Diſtribuitur autem ad lien, uentriculi fundum, iecur, omentum, renum tunica, ĩteſtinas omnia, ueſſicam, ac uterum. Huius coniugationis reliquum, primum ad muſculos qui ex ſuperna thoracis parte, et iuguli ad ſuperiora feruntur, propagines mittit, inde eos promit.

B quos Recurrentes supra appellauimus. de hinc ad pulmones, pericardiam, cor, licet obscurissime. reliquũ uerò eius in uentriculi os, dexter uidelicet neruus in sinistram, sinister in dextram eius regionem insertus, per uniuersum uentriculum absumuntur. & ex sinistro exigua portiuncula ad iecur mittitur.

Septima paulò infra sextã exorta, ad sextã augendam insignẽ sui portionem mittit. reliquum ad musculos stiloidis processus & laringis, ac demum in linguam eiusq; musculos absumptum, linguæ motibus præest. Spinalem aut Dorsalem Medullam appellandam esse censuimus, eam quæ è caluaria elapsa, ad extremam usq; uertebrã, & sacrum os protenditur. At licet ea sit continua, diuidere tamen licebit in quatuor partes, eam uidelicet quam continent uertebræ ceruicis, aliam quæ à thoracis. Tertiã quæ à lumborum uertebris continetur, reliquam cui sacrum os iter præbet. Profert itaq; spinalis medulla in ceruice contenta neruorum paria septem, quorum singula dextro & sinistro constant neruo. Primi aũt dexter, huius.n. lateris deinceps neruos percurram, in duos dissectus surculos, unum uersus posteriora inter caluam et primam uertebram ad musculos, qui à prima uerte-

bra ceruicis ad occipitis os feruntur, & alios qui ab occipitis oſſe ad trāſuerſos primæ uertebræ proceſſus inſeruntur, & alios quoſdam uicinos mictit, alter gracilior uerſus anteriora, ad muſculos qui ĩ anteriori parte uertebrarum locantur.

Secundus dexter neruus, in duas etiam propagines diuiſus eſt, quarum poſterior maior eſt, ab interſtitio primæ & ſecundæ uertebræ, à propagine tertij paris aucta, maiorem ſui ſurculum ad cutim capitis, minorem uerò ad muſculos à ſecunda uertebra ad occiput peruenientes mictit. at anterior ac minor, per pirenoidis latus elapſa, in muſculos anteriori parte uertebrarum locatos abſumitur.

Tertius integer ortus, elapſus tamen per peculiare foramen, à ſecunda & tertia uertebra ſibi paratum, in duos ramos diſcinditur, quorum poſterior ad ſecundæ uertebræ ſpinam contendens, indeq; extra muſculos excidens, ad ceruicis latera, ac muſculos buccas mouentes. At anterior, ad primum ac ſecundum par muſculorum dorſum mouentium ad propaginem quarti paris, in eoſdem muſculos abſumendam, ad ſecundi paris propaginem augendam, & ad muſculos ceruicem ad latera mouentes, alioſq; ſcupulam eleuantes.

Quartus eadem ſerie, poſteriorem ramum ad ſpinam reflexum, uicinis muſculis portionem mittens, ad latum membraneumq; muſculum buccas mouentē. Anterior in tres ſurculos diuiſa abſumitur, ad tertij propaginem augendam, in muſculos uertebrarum lateribus adnatos, ac ſcapulas ſurſum attollentes, & interdum ad eam quinti paris propaginem augendam, quæ ad ſeptum tranſuerſum fertur.

Quintus eadem ſerie, ortum ac diuiſum, minore ramo ad poſteriores eius regionis muſculos. alio uerò in plures diuiſo, ad muſculos ceruicem flectentes, reliquum deorſum repens, à quarti & ſexti paris portione auctum, per membranas thoracem interſepientes, ad mediam regionem ſepti tranſuerſi, at reliquum huius paris in muſculum epimoidis, & ſcapulam attollentem, & eiuſdem regionis cutem. Alia eius portio profundior ad ſcapulæ ceruicem delata, inde ad epomidis muſculum alium ſurculum mittit. reliquum ad muſculum qui eam ſcapulæ cauitatem implet, quæ inter eius ſpinam & elatiorem coſtam uiſitur, ad epomidis muſculum, & tandem ad cutem externæ regionis brachij.

Sextus poſteriorem ac minorem propaginem ad ceruicem & caput mouentes, & quoſdam reſpira-

tioni ſeruientes muſculos mittit.

Anterioris uero portio ad augendum ſepti neruũ pergit, reliquum cum ſeptimo & octauo coit, & uarie rurſus diſcinditur, ſed prius ad ſcapulæ cauum, & ſcapulam attollentes muſculos propagines mittit.

Septimus interdum ſui propaginem mittit ad augendum ſepti tranſuerſi neruum. fitq; hoc cũ à quarto nihil ſuppeditatur. ad poſteriora etiam ramum in muſculos uicinos, & latum qui buccas mouet. reliquũ cum ſexto & octauo, hoc eſt primo thoracis, congreſſum, in manum uti, audies abſumitur.

Ex ea ſpinalis medullæ portione quæ à duodecim thoracis uertebris continetur, duodecim oriuntur neruorum paria, quorũ primus Dexter neruus, ex cõi foramine à ſeptima ceruicis & prima thoracis uertebris conſtituto emanans, in duos primum deducta ramos. poſterior & quidem gracilis ad ſpinam uergens, in muſculos diſpenſatur qui ex illa regione initium ſortiuntur. anterior uerò multò craſſior eſt. ſurculis quibuſdam in uicinos thoracis muſculos diſtributis, reliquum omne cum tribus ſuperioribus & uno inferiori congrediens, ad brachium mittitur.

Secundus poſteriori ramulo in adiacentes muſculos diſtributo, anterior primum ad coſtam ſui pro-

paginem mittit, quæ ad primos intercostales & thoraci adiacentes musculos absumitur, reliquum cum quatuor superioribus congressum, ad brachium contendit.

Reliquorum omnium thoracis neruorum eadem ferè est distributionis ratio. ramum, n. habent singuli posteriorem, ad spinam uergentem, ac in adiacentes musculos & cutim dispensatum. anteriores autem per cauitatem infernæ interiori costarum regioni insculptã ad sternon usq; feruntur, in intercostales aliosq; adiacentes musculos & cutim distribuuntur. Nec silentio prætereundum, quod à iunioribus anatomicis obseruatum est. spinalis. n. medulla à sexta thoracis uertebra, mutata substantia, tota in neruos degenerat, qui seriatim suo ordine dispensantur ad finem usq;.

NERVORVM AD MANVM ductorum Series. Cap. 32.



D Manum ferri neruos ex quinta, sexta, & septima ceruicis, prima, & secunda thoracis coniugatione diximus, qua autem serie distribuantur nunc audies. Ex con

greſſu dictorum neruorum, ſex conſtantur, quorum Primus è regione quinti paris ceruicis ad cutem externæ regionis brachij, paulò ultra dimidium, ad quam etiam cutis regionem peruenit propago ex quarto numerando.

Secundus ad humeri os contendens, ſub anteriore muſculo bicipiti cubitum flectentium, ad regionem inſertionis muſculi epomidis, ibi utriq; bicipitis muſculi capiti ſurculos offert.

Et paulò infra à tertij portione in quibuſdam auctus, ad anteriorem cubiti regionem contendit, ibiq; diuiſus, minorem ramum unà cum uena humeraria ad radij extimam regionem mittit, qui ad ſecundū uſq; pollicis internodium fertur. interim toto hoc ductu ad cutim radio ſuperſtratam, ſenſus gratia, ſurculos mittens. Maior autem portio in ſurculos tres diuiditur, quorum unus humerariæ & cõmuni uenis ſubiectus, per internam radij regionem ad brachialis articulum fertur. alter humilior per mediam ulnæ regionem ad brachialis articulum. tertius inferior ſecundum cubiti oſſis longitudinem, ad brachialis uſq; articulum. atq; eæ omnes propagines quandoq; ad extremæ manus interna feruntur, aliquando ex ijs quædam, quæ omnes in toto ductu, portiones ad eiuſdē regionis cutē mittunt.

Tertius alam perreptans, ad eius regionis cutim ramulum mictit, mox ad secundi ductum accedens, ramulum exhibet capiti musculi posterioris cubitum flectentium, inde secundo, uti diximus, sui portionem mictens, deorsum ad anteriorem cubiti flexionis sedem contendit.

Reliquum inter musculum quatuor digitorum secundos articulos & eum qui tertium pollicis os flectit, cum uena & arteria ad brachiale ac uolæ principiũ ductum, inde tenuissimos surculos mictit ad musculos qui in uola & postbrachialis ossium interstiti[illegible]cati sunt, ab eo quod medio digito respondet, ad totam pollicis regionem. reliquum in tres propagines diuisum, primam in duos surculos diductam, ad internam pollicis sedem mictit. secundam adhuc bifidam, ad internam indicis sedem. tertiam simplicem ad internum latus medij digiti.

Quartus omnium crassissimus, unà cum axillari uena & arteria ad mediam ferè brachij longitudinẽ fertur. cum prius ad cubitum extendentes musculos surculos, & internam brachij cutem impertiatur. inde ad externam brachij regionem conuersus, ad eius etiam regionis ac cubiti articuli cutem surculum spargit. truncus uerò cum primum per exterioris humeri

tuberculi radicem tranſiens, ad cubitum peruenit. inſignem propaginem ad brachiale uſq; protenſam ex ſe promit, quæ toto ductu ſurculos ad externam cubiti cutem mittit. reliquũ in duos ramos diuiſum, unus elatior radio exporrectus, ad externam brachialis ſedem contendit. cum prius muſculis quos contingit exiguas propagines mittat. at ibi bipartitus unam ſui portionem adhuc bifidam. ad externam pollicis regionem delegat. altera in duo diuiſa, ad externam indicis ſedem unam ſui portionem bisulcam delegat, reliquam ſimplicem ad internum latus exterioris ſedis medij digiti porrigit. At demiſſior ramus ſtatim frequentes educit ſoboles, ad initium muſculi indicem, medium, anularem, & minimum digitum extendentis, & exteriorem eorum qui carpum extendunt. truncus uerò ulnæ attenſus, muſculis ex ulna pronatis ſurculos mittens, ad brachialis radicem finit.

Quintus unà cum quarto, per alam inter muſculos cubitum flectentes & extendentes dilapſus, ad radicem interioris humeri proceſſus, qui ad hoc fabricatus eſt contendens, cum ad cubiti articulum acceſſerit, plures ex ſe ſurculos promit, ad muſculorum capita qui internam ulnæ regionem occupant. ij enim omnes ab hoc & tertio neruos ſeriti ſunt. truncus uerò inter mu

sculos primum & secundum digitos flectentes delatus, post mediam ulnæ regionem in duos insignes ramos diuisus, unum ad uolam mittit, qui in quinq; surculos desinit, quorum unus exteriori medij digiti lateri, duo anulari, ac duo reliqui minimo inseri conspiciũtur. alter uerò inde per externam ulnæ regionem carpi articulum præteruectus, pari ratione in quinq; diuisus, ad externam trium dictorum digitorum sedem insertus dispensatur.

Sextus omnium infimus, ab ala ad interius humeri tuberculum delatus, & inde per ulnæ ductum, priusq; carpi articulum attingat, cessare conspicitur. Verum toto ductu propagines ad cutim mittit, potissimũ cum cubiti articulum ingreditur. ibi enim numerosa sobole non modo cutim adit sed axillari uenæ substrati ac super positi cernuntur.

NERVORVM EX LVMBIS *ac sacro osse enascentibus series.* Cap. 33.



EX Lumborum uertebris quinq; oriuntur neruorum paria, quorũ omnium cum thoracis neruis commune est, ad posteriora soboles producere, quæ in musculos inde exortos & eiusdem regionis cutem absumuntur.

Anteriores autem rami in abdominis musculos, & eum qui brachium deducit, & cutim disseminantur. uti etiam in unum ex his qui dorsum mouent, & sextum femur mouentium ab anterioribus secundi paris ramis, ad testes surculi deferuntur, cum à sexta coniugatione cerebralium eis denegantur. obseruatum etiã quandoq; est, ex tribus primis paribus ad sextum augendum ueluti ex superioribus surculos mitti, à tribus uerò infernis haut paruæ portiones ad crura mittuntur. quo autem ordine distribuantur paulò post audies.

In osse sacro pro uarietate numeri uertebrarum uariatur & neruorũ inde exorientiũ numerus. si. n. sex diuisionibus fuerit constitutum sex, sin quinq; toti-

dem etiam neruorum paria ab eo educentur. Primus itaq; neruus ad posteriora propagines mittit, in adiacentes, & eos qui ab ilium osse pronascuntur, & primum femur mouentium musculos, & cutem clunibus obductam absumitur. Anterioris uerò portio neruis in crus deducendis permiscetur. reliqua propago per internam Ilij ossis sedem exporrecta, abdominis musculis, & septimo femur mouentiũ admiscetur. Quinq; autem inferiora paria singula anterioribus & posterioribus propaginibus gaudent. posteriores in musculos absumuntur, qui ex ea ossis sacri regione oriuntur. Anteriores uerò uarie digeruntur, tres enim superiores ad crura properant, duo aut, si quando ita acciderit, tres reliqui, in musculos sedis, uteri, uessicæ collum, & penem absumuntur, Reliquum est minimum illud in quod spinalis medulla desinit, breue quidem ac teres, qui nullibi dispensatur, appellant autem eum Neruũ sine pari.

NERVORVM AD CRVRA tendentium distributionis ratio. Cap. 34.

X Lumborum uertebris & osse sacro ad crura plures deleganri neruorum propagines diximus, ex tertio enim quarto, & quinto lumborum, primo, secundo, tertio & quarto ossis sacri neruis, simul implicitis, quatuor insignes emergunt. quorum Primus è regione tertij paris lumborum exortus, deorsum per lũborum carnes, & inter musculos femur mouentes contendit, inde ramum promit per externam femoris cutim disseminatum. paulum supra genu cessantem. Crassior eius portio in alto latens, adiacentibus musculis tibiam mouentibus surculos largitur, inde paululum supra genu finiens, musculis quos contigit surculos offert.

Secundus infra primi exortum nascitur, per inguina deorsum simul cum uena & arteria ad femur delapsus, ramum unà cum uena ad pollicem usq; porrigit, qui interim in media femoris regione ad genu, & mediũ cruris ad cutim ramulos spargit. at nerui trun-

cus cum uena & arteria in altum latens, in musculos anteriorem femoris regionem occupantes absumitur, & ad genu usq; articulum exiguos surculos mittit.

Tertius infra secundum exoritur, deorsum per pubis ossis foramen contendens, ad aliquot femur mouentium musculos & a foramine ad musculos penis propagines mittit, paulo infra ad internam fæmoris cutem iuxta inguina. reliquum tertio tibiam mouentium & quinto femur mouentium musculis offert & supra mediam femoris regionem finitur.

Quartus anterioribus propaginibus primi, secundi, tertij, & quarti parium neruorum ossis sacri constans omnium crassissimus, simul atq; durissimus. hic cum primum per sinum qui inter sacrum & Ilium ossa uisitur delapsus est, statim ex posteriori parte ramum deriuat sub musculo primo femoris motorum occultatum, ad clunis & posterioris sedis femoris cutem delegatū. alias item mittit propagines ad quarti, & sexti eorum musculorum capita, qui tibiam mouent. inde ad posteriora femoris, inter musculos occultatus, ad medium eiusdem longitudinis ramum deri-

uat,ad quintum musculum,& cutem quæ posteriorem femoris regionem infra eius dimidium occupat. Truncus uerò ad poplitem delatus, duos primum surculos mittit ad principia musculorum pedem extendentium, qui ex inferioribus femoris capitibus ortum ducunt, ac statim bipartitus exteriorem ramum reliquo minorem, ad fibulæ caput delegat. & inde propaginem ad cutem exterioris regionis tibiæ porrigit. qui per exteriorem malleolum ad externum pedis latus desinit. paulò infra truncus hic externus aliam mittit propaginem, ad anteriorem cutis regionem. reliquum uerò eius profunde inter musculos & ligamentum, quo tibia cum fibula connectuntur, ad digitos usq; protenditur. Interior uerò & maior quarti nerui truncus, tibiam subiens, statim ramum mittit ad posteriorem cutis tibiæ regionem, ad calcem usq;. ipse uerò truncus inter musculos delatus, ad infernam tibiæ regionem, exterioris trunci propagine auctus, per posteriora interioris malleoli, ad plantam contendit. ibiq; in decem finiens surculos, cuilibet digito duos impertitur, ac in uniuerso ductu adiacentibus musculis ramulos distribuit.

Hæc de neruis. Nec me præterit neruorum exortus pariter atq; ductus implicatio

nes, ramificationes, & fines, non eandem in omnibus corporibus ſeriem ſeruare. ſicuti etiam quod ex neruorum paribus, nonnulla ſtatim ab origine ex pluribus naſcũtur radicibus, ex quibus ſimul iunctis, facti ueluti faſciculo, paria conſtituuntur.

QVAEDAM AD EXACTIOrem Muſculorum Notitiam pertinentia Cap. 35.



VSCVLI Corporis partes sũt, Voluntarij motus inſtrumenta. Voluntarius ſeu Arbitrarius Motus eſt, quotieſcumq; partem aliquam aut uniuerſum corpus ex noſtro arbitrio ac uoluntate mouemus. at mouendi facultatem aſſumunt muſculi à cerebro, medijs neruis. Muſculis hoc nomen inditum eſt, quod eorum plurimi muris formam æmulentur, in fine & principio gracilem, at in medio craſſam, qua etiam ratione haud inepte, Lacerti nũcupantur. Eorum partes ſunt Principium ſiue Caput, Medium ſeu Venter, & Finis ſiue Cauda. neq; hæc in ſingulis diſcernere queas, cum ex his quidam adeo ſint breues ut omnes eorum partes ſimi

les uideantur, quales intercoſtales uiſuntur. quorumdã etiam principia & fines ignorantur, uti ſphinctir, & ceruicis ueſſicæ muſculi. Caput muſculi dicitur eius pars, quæ ſtatim ab ortu ſequitur. conſueuit autẽ gracile & nerueum eſſe. Quod id ſequitur craſſius atq; latius factum, ac carneum, Venter eſt. pars autem extrema gracileſcens & neruea, ad partem quam motura eſt inſerta Cauda, & Finis dicetur. Conſtat aũt muſculus ex ligamentis et neruis in tenuiſſimas fibras diuulſis, inter quas caro concrenit. Caro. n. ex ſanguine reſiccato facta eſt. quæ nullibi reperitur niſi in muſculis. ut eorum fibras muniat, non modo contra extrinſecus occurrentia, & maximas diſtentiones, ſed aduerſus immodicos calores & frigora. non ipſis modo fibris, ſed uniuerſo corpori propugnaculum exiſtit. eſt & in alijs quibuſdam partibus ſubſtantia quædã carni proportione reſpondens cum tamen uera caro non ſit, in iecore enim concretio potius quædam adeſt, quam Parenchima græci appellant, habent Pulmo, Lien & Renes atq; Cor ſuam carnem, ſed & uenæ, ac Arteriæ, uentriculus, inteſtina, & deniq; omnia, quæ fibras habent ſua carne prædita ſunt. quæ ſpatia earũ oppleat, naturalium earũ functionũ inſtrumẽtũ recte cẽſetur. Ad inſtitutũ redeũtes. Muſculi cum

sint ĩstrumẽta arbitrarij, motus aũt quilibet suũ habet contrariũ, contrarios ẽt ad inuicẽ esse musculos expedit. quapropter extendentes flectentibus contrarij sunt dilatantes constringentibus, quod etiam de reliquis motibus intelligendum est. Sunt autem quidam qui contrarijs non indiguere, ueluti uessicæ ceruicis, & Ani constrictio, fit quidam à musculis, uerum dilatatio & apertio sequitur eorundem musculorum laxationem, sicuti etiam inspiratio fit agente septo transuerso, & expiratio eo solo laxato sequitur. Neq; uos lateat quòd cuiuslibet arbitrarij motus musculus aliquis dux est. Nec desunt motus qui duobus pluribusue musculis indiguere. Et ex musculis quidam, qui soli unum perficiunt motum, cum alijs associati alium. Eorum autem quilibet, dum suo fungitur munere, contrahitur uersus suum principium. Dignoscitur autem eorum peculiaris motus, ex fibrarum, & situs ratione. Cum deniq; ex musculis, quidam in plures tendines desinant, ex cuiusq; arbitrio unum dicere, uel pro endinum numero diuidere liceat. Hic ego breuitati studens eorum principia ductus, ac fines describam, his enim notis reliqua eorum delineatio cuilibet obuia esse poterit.

Frontis Musculosa Cutis.

Frontis cutis cum subiectis musculis unita est, ut

nullo pacto ſegregari poſſit. gerit autem uicem duorum tenuium latorumq; muſculorum, qui utrinq; ſupra frontem quà capilli deſinunt incipientes, in ſupercilijs deſinunt, eaq; erigere dicuntur,

Genarum Muſculi.

Superiores oculorum genæ eleuatæ, oculum aperiunt, depreſſæ claudunt eleuãt autem muſculi qui à minori angulo ad tarſi mediã regionẽ accedũt, ſed qui à maiori angulo ad eandẽ tarſi regionẽ ducuntur deprimũt.

Oculi motores Muſculi.

Oculi quò commodius circumquaque, immoto etiã capite uidere poſſent, moueri expedijt quapropter ſingulis ſeptem tributi ſunt Muſculi, qui omnes à dura membrana uiſorium neruum ambiente, cum primum è caluaria excidit oriuntur. Horum duo ſuperni per ſuperiorem oculi partem rectè ad anteriora protenſi, prope iridem connectuntur. Duo inferni per infernam oculi regionem rectè ad anteriora inſoruntur. Duo laterales qnilibet per ſuum latus oblique, ad anteriora ducuntur. Scptimus uniuerſum neruum uiſorium ambiens, in totam poſteriorem oculi ſedem. Hic uerò in pleriſq; hominũ cadaueribus deſideratur. Ex cuiuſlibet autem ſitu ac ductu quem ſinguli motum ædant, facilè dignoſcetur.

BVCCAS LABIA ET & Narium Pinnas mouentes Muſculi.

Ad Varios uſus exercendos uarij his partibus muſculi dati ſunt. Primus enim, ex altero latere, à ſcapularum regione. Clauicula. & Sterni ſuperiori parte, latus ac tenuis, ad ſui lateris Buccas. Secundus item latus, à tota ferè ſuperioris maxillæ longitudine orbicularibus. ac uarijs intertextus fibris, ad totam inferioris Maxillæ longitudinem. Tertius à mala carneus oblique ad Labrum ſuperius. Huic opponitur Quartus ab anteriori parte Maxillæ inferioris ad Labrum inferius. Ab interna parte Malæ Quintus, qui paulò poſt in duos diuiſus Anteriorem ad externam partẽ Alæ Naſi, poſteriorem uerò ad labrum ſuperius. quò fit ut alas naſi erigere nequeamus, quin & ſuperius labrum ad ſuperiora feratur. ex dictorum muſculorum ad labia concurſu fit implexus fibrarum, nullo ordine diſpoſitus, multorum muſculorum uicem ſubiens, cutiq; adeo permiſcetur, ut nullo pacto ſegregare queas, unde uarius ac multiplex labiorum motus efficitur. Naſi autem Ala à muſculi portione, quam ad eius externa inſeri dicebamus, eleuatur, & ad latus

mouentur

mouetur,in parte tamen eius interna nullus adeſt muſculus qui eam ad interna trahat, neq; aliquem uidi qui narium alas ad interna moueat niſi ex motu ad externa concidat.

INFERIOREM MAXILLAM mouentes Muſculi.

Inferior Maxilla ut ſua munia obiret,uarijs motibus donari deſiderauit.ſiquidem ad inferiora ferri, cum os aperimus,& Inferiores dentes à ſuperioribus recedunt,Surſum adduci,cum os claudimus,& inferni dentes ſupernis accedunt.Circumduci,cum inferiores dentes ad dextram,ſiniſtram,anteriora,aut poſteriora uarie feruntur.Maxilla enim ſuperior immobilis eſt. Surſum itaq; adducunt Temporales dicti muſculi quorum dexter ex latere oſſis ſincipitis, & frontis amplam ac ſemicircularem originem ducens, per tempora delapſus,ac anguſtior redditus, ſub oſſe iugali,à quo alias carnes fibras mutuatur pertranſiens,in acutum inferioris maxillæ proceſſum ſe inſeruit. Huic aũt opponitur deorſum trahens à ſtiloide proceſſu & in media logitudine gracilis redditus, ut adiacentibus organis cederet ad internam ſummi

Menti regionem, inſeritur. Maſſeter dexter ab inferiori Malarum regione, oblique, ad Maxillæ inferioris infernam, ac poſteriorem regionem, alligatur. cuius peculiare eſt, maxillam ad anteriora exporrigere. Huius oppoſitus eſt qui in ore latet, in ore deliteſcens dictus. ab alatis proceſſibus oſſis Sphenoidis ad internam ac poſteriorem regionem maxillæ inferioris, qui cum ſuo coniuge maxillam ad poſteriora retrahere poteſt. uerum cum Maxeteribus dictis pro actionis uarietate Maxillam circumducunt, ac uarie mouent. ut cibos mandere poſſit.

Muſculi oſſis Yoidis.

Yoides os & uarie maueri, & firmum eſſe expedijt, hæc quatuor muſculorum paria perficiunt. quorum Primum ab eminentiori oſſis pectoris ſede ad anteriorem yoidis regionem. Huius aliud oppoſitum eſt, quod ab interiori extremi menti parte ad anteriorem dicti oſſis porrigitur. Tertium autem à proceſſibus ſtiloidibus admodum gracile, ad yoidis latera, dictorum inſertioni adiacentia. Cum tamen. Quartum ab elatiori coſta ſcapulæ oriatur, & ad anteriora oblique aſcēdens, in medio gracileſcens ut adiacentibus muſculis

cederet, atq; iterum craſſius ac carneum euadens, è regione tertij paris in ipſum os inſeritur. Hic cũ ad modum gracilis ſit, ſcapulã ſurſum trahere nõ poteſt

Linguæ Muſculi.

Lingua & ipſa uarijs indiguit motibus, & propterea multis muſculis munita eſt, quorum duo ex ſuperna anteriori regione oſſis Y oidis, rectè ad mediã inferiorem partem linguæ. ij ad poſteriora trahunt. Alij duo ex lateribus dicti oſſis, ad poſterioris linguæ baſis latera. Nec deſunt qu intus & ſe xtus a ſtiloidibus proceſſibus deorſum ad latera radicis linguæ. Septimus autem et Octauus ex internis lateribus Maxillæ inferioris, ad linguæ latera. Poſtremi autẽ duo ab interna ſede extremi menti, retrorſum ad baſim linguæ. eam ad anteriora & extra os trahunt, ſi ambo ſimul agant. ueluti ex unius tantum actione ad agentis latus uertitur. quod de alijs etiam intelligi uelim. Ex his autem omnibus ſimul implicitis linguæ corpus conflatur, multiplici fibrarum implexu, à quo fit ut lingua nunc lata & tenuis, nunc uerò rotunda ac craſſa, pro hominis arbitrio fiat. quandoq; cuſpis tantum ſurſum uel deorſum, aliquando tota eius moles, pro uſuum uarietate mouetur.

Laringis Musculi.

LARINX Duplici indigunt motus differentia, altero ut totum ipsius corpus unà cum lingua & osse Yoide moueretur. Reliquo cum eius cartilagines, ad lingulæ foramen laxandum, aut claudendum motu aguntur. Qui eam cum alijs partibus connectunt Cōmunes, at eius cartilagines mouentes Proprij dicuntur. Communium itaq; primum par ex lateribus ossis Yoidis ad humiliorem scutiformis cartilaginis sedem. Secundum à superioribus & internis partibus ossis pectoris, ad humiliora dictæ cartilaginis, primo oppositum. Tertium ex posteriori parte Gulæ, ad scutiformis latera. Hunc autem gulæ principium constringere potius quam laringem mouere crediderim. Quartum autem par ex media interna ossis Yoidis regione ad basim operculi laringis. quod in quibusdam non reperitur. Proprij autem sunt duodecim, quorum duo primi, ex scutiformis cartilaginis anterioribus lateribus, oblique deorsum ad anteriora innominatæ. Duo alij sub his contrario ductu ab innominatæ lateribus oblique sursum ad scutiformis basim anteriorem. Sunt & alij duo ex tota interna media longitudine simul uelut triplici principio exorti, inde quilibet per suum

latus, oblique ſurſum, ad utramq; anterioris Arithenoidis ſedis partem. Quartum autem par à poſteriori baſi innominatæ, ſurſum ad Arithenoidis baſim. Quintum uerò ex ſupernis lateribus Innominatæ, ad Arithenoidis latera. Sextum in poſteriori baſi Arithenoidis, eiuſdem partes connectens.

Brachium mouentes Muſculi.

Humeri articulus quo tota manus ſuis fungi poſſit munijs, uarie mouetur, & propterea uarij muſculi ei deſeruiunt, quorum. Primus pectori humerum adducens à pectoris oſſis longitudine, ampla origine ducta, inde paulatim anguſtior redditus, ad anteriorem ceruicis humeri partem. huius ſubſtantiam in tres diuidere muſculos licebit. Eſt & alter rectè ſurſum attollens. ex ſpina Scapulæ, ſummo humero, & ſui lateris clauicula lato principio exortus, paulatim anguſtior factus, ſupra mediam exteriorem Humeri regionem inſeritur, Epomidis ſiue Deltoides Muſculus appellatus. Deorſum agens ab omnibus ſpinis uertebrarum lumborum latus incipit, inde oblique ſurſum per latus ad anteriora contendens, internæ ſuperiori humeri regionem inſeritur. Circumducens ab infer-

na costa scapulæ ad superiorem humeri regionem. Ad posteriora trahens ex cauitate scapulæ, quæ inter eius spinam & superiorem costam uisitur, ad humeri ceruicem. Qui uerò internam scapulæ cauitatem implet, ad anteriorem regionem ceruicis humeri annexus, circumducere etiam potest.

Scapulæ Musculi.

Scapulam pectori adducit musculus triangulus ex anteriori parte primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ, superiorum costarum, sub eo qui humerum pectori adducit latens, gracilior factus, Anciroidi scapulæ processui adnectitur. Sursum uerò trahit (ut Vesalius censet) deorsum uellit & ad dorsum agit musculus, quē Gal: inter capitis motores numerat. Hic ex tota posteriori regione ossis occipitis, & spinis omnium uertebrarum ceruicis ac thoracis oritur, ac ex quali bet sui ortus parte fibris ad scapulam tendentibus constat, ibiq; in tota longitudine spinæ scapulæ & summo humero connectitur. Alter sursum etiam trahens, ex transuerso processu Primæ, Tertiæ, Quartæ, & Quintæ uertebrarum ceruicis oritur, ualidus & quoquo pacto latus, ad internam sedem superio-

ris anguli, basis Scapulæ. Agit uerò ad spinam dorsi alius, ex spinis quintæ, sextæ & septimæ ceruicis, & trium primarum uertebrarum thoracis, latus ad totam scapulæ basim.

Caput mouentes Musculi.

Caput uarie moueri uidemus, tum ad cōmodiorem usum oculorum, tum aliorum sensuum in capite existentium. Primum itaq; Musculorum par, ex spinis uertebrarum quartæ, tertiæ, secundæ, & primæ thoracis, & in quibusdam etiam, sextæ, & septimæ ceruicis, ab inuicem statim segregati, oblique sursum, occipiti inseriuntur. Secundum è lateralibus processibus quinte, & quartæ uertebrarum thoracis, sursum ad occipitis posteriora, inter insertiones primi paris .ij in medio carnosi esse desinunt. & prius q̃; iterum crassi reddantur, augentur ab alijs exiguis, ex spina septimæ uertebræ ceruicis. huius etiam portio, ni malis, peculiare hoc musculorum par numerare, ex apice primæ & secundæ uertebrarum thoracis, ex media regione ad latera oblique nonnihil ascendens ad radicē processus māmillaris. Tertiū par ex spina secūdæ uertebræ ceruicis ad occiput. Quartū ex posteriori parte

primæ uertebræ ad occiput. Quintũ à media regione occipitis oblique deorsum ad apicem transuersorum processuum primæ uertebræ. Sextum ex apice spinæ secundæ uertebe, oblique sursum ad processus laterales primæ. Septimum à superiori parte ossis pectoris, per collum oblique sursum, ad mammillares caluariæ processus. horum quilibet pro situs uarietate uarie caput mouent.

Abdominis Musculi.

ABDOMEN Vnico tantum motu agitur, in quo omnes eius partes uersus corpora uertebrarum contrahuntur. ob amplitudinem autem loci, unico musculo fieri non potuit. non enim potuisset æque omnes partes constringere. obid octo fabricati sunt, qui pro uarietate ortus, fibrarum ductus, situs, figuræ, ac finium simul agentes, ita uniuersam hanc regionem comprimunt, ut nihil desideres. si enim eorum aliquis deficeret, non fieret iusta compressio, uelut etiam frustra alium addideris. Qui igitur primi occurrunt. Obliqui descendentes appellantur, utrinq; unus. à costis sexta, septima, octaua, & nona latam ducit originem, deorsum oblique, aliquousq; carnosus ac latus descendit,

poſtea in tenuem ac latum degenerans tendinem ad totam longitudinem candidæ lineæ. eſt autem Candida Linea interſtitiū rectorum muſculorum à mucronata cartilagine ad os pubis pertingens. His ſuccedūt obliqui aſcendentes, ex tota ſuperiori regione oſſis Ilium, lateralibus proceſſibus uertebrarum lumborum, oblique ſurſum aſcendunt aliquouſq; carnei. inde in tenues ac latos tendines degenerantes, ad totam longitudinem candidæ lineæ. His ablatis Recti ſeu Longitudinales apparent ex mucronatæ cartilaginis regione, rectè deorſum, ad oſſa pubis. paululum ſupra umbilicum ad finem uſq; ſe tangunt, ij hoc habent peculiare quòd propria tunica deſtituuntur, cuius uicem ſupplent tendines reliquorum muſculorum, qui eos undequaque conueſtiunt. Eorum item pars quæ eſt ſupra umbilicum, interſtitia quædam habet neruoſa tranſuerſa, ac ſi plures eſſent muſculi, quorum alter ab altero penderet. ac propterea arbitramur plurium muſculorum munere fungi. ut aliquando quædam eius partes quieſcant, aliæ operentur. uelut in moderatæ uocis formatione, ſupernæ agunt, infernis interim quieſcentibus. dum uerò meiere ſtudemus, ſupernis quieſcentibus infernæ agunt. Sub his etiam feruntur uenæ & arteriæ quarum commiſſione fit,

ut uterus cum mãmis cõsentiat. In horum insi per fine alij duo exigui superstrati sunt, è pubis ossibus oriundi, rectorum tendines integentes, quos etiam illius partis motum iuuare credideim. Reliqui sunt transuersales, à lateralibus processibus uertebrarum lumborum, superiori parte ossis ilium, & extremitate costarum spuriarum, carnoso principio & paulò post in tenuem ac latum tendinem uersus, trãsuerso ductu, sub rectis musculis ad candidam lineam. Nec te prætereat, horum & obliquorum tendines, cum primum rectos attingũt adeo ad inuicem connecti, ut eos segregare nequeas, & pars quæ extra rectos mittitur, parte externa fibras habeat oblique descendentes, interna uerò quæ externam recti tangit, oblique ascendentes, quæ autem sub musculis usq; ad candidam lineam fertur, parte externa, quæ rectos tangit fibras ostendit oblique ascendentes, interna uerò transuersales. ut hinc discas obliquorum ascendentium tendinem intus & extra, rectos musculos integere.

Thoracem mouentes Musculi.

Thorax et ipse uoluntario motu agitur. cumq; ex multis constet segregatis ossibus, multos etiam habere musculos decuit. Dextri lateris Primus, ab inferiori interna claviculæ regione ad primam costam, quà sera

no copulatur. Secundus ex tota interna ſcapulæ baſi, ad octo ſuperiorum coſtarum interualla, priusq; in cartilaginem degenerent. Tertius ex ſpinis quintæ, ſextæ, & ſeptimæ ceruicis, & primæ thoracis uertebrarum oblique deorſum ad latera, in quatuor ſuperiorum coſtarum interualla tripartitus inſeritur. Quartus ex poſteriori regione oſſis ſacri, & interiori ſede oſſis ilij, & tranſuerſis proceſſibus uertebrarum lumborum ad ſingulas radices decem coſtarum ſuperiorum, neruoſis tendinibus alligatur. Quintus ex ſpinis uertebrarum undecimæ, & duodecimæ thoracis, primæ & ſecundæ lumborum, tranſuerſim ad priora, in aliquot diuiſus extantias, nonæ, decimæ, undecimæ, & duodecimæ coſtarum interuallis inſeritur. Sextus ab extremitate primæ coſtæ, per ſterni latus, omnibus uerarum coſtarum cartilaginibus connatus, ad inſernum ſterni latus.

Intercoſtalia ſpatia muſculis referta ſunt, qui Intercoſtales muſculi dicuntur. ſunt autem externi, & interni. Externi in quolibet ſpatio, à ſuperiori ad inferiorem coſtam, oblique ad anteriora deorſum ſternuntur. Interni ab inferiori ad ſuperiorem oblique ſurſum ad poſteriora ducti, externos ad X literæ ſimilitudinem interſecant. Qui in ſex interualli

cartilaginum uerarum costarum contrario ductu efformati sunt. Siquidem externi à superiori ad inferiorem costam oblique uersus posteriora, interni uerò illos ad X literæ similitudinem intersecant. Licet autem Gal: libro de causis respi: asserere uideatur, internos intercostales ad uiolentam inspirationē deseruire, quæ non nisi dilatato thorace fieri potest. primo tamē de motu Musc: Musculos omnes qui intus ad costas sunt efflationis opifices esse asserit, fit autem efflatio constricto thorace. Intercostales autem ipsi quomodo thoracem dilatare possint non uideo.

Inter thoracis musculos Septum transuersum numeratur, cuius principium putauerim esse eius partē posteriorem, quæ uertebræ corpori connectitur, cum inde neruosus oriri uideatur, & in uiuis animalibus, aperto peritonæo, uersus eam partem omnes contrahi cernuntur, locusq; ille firmissimus sit, quod in omnium ferè musculorum initijs requiritur. adde quod omnes septi fibræ huc tamq; ad principium tendunt. inseritur autem hoc septi principium in corpus duodecimæ uertebræ thoracis. circa quod nihil carnis possidet, reliqua eius circumferentia carnosa est, extremis costarum spuriarum cartilaginibus, & mucronatæ cartilagini adnexa. Inter omnes enumeratos thoracis mu

ſculos intercoſtales aſtringunt reliqui omnes dilatant. ex alijs uerò Abdominis etiam muſculi,ſeptum præmendo,thoracem anguſtiorem reddunt.

Dorſum mouentes Muſculi.

Omnium uertebrarum compago Spina & Dorſum dicitur,quod etiā Muſculis eius motuum duci bus indiguit. Eorum alterius lateris Primus à latere corporis quintæ uertebræ thoracis ſurſum obliquè aſcendens,ad anteriora primæ uertebræ.quibuſdam ad anteriora oſſis occipitis carnoſas fibras mittit. hunc Veſalius in decem dirimi poſſe aſſerit . Secundus à primæ coſtæ ſuperiori longitudine,adtranſuerſos proceſſus uertebrarum ceruicis. Tertius à ſex ſuperiorum uertebrarum thoraris lateralibus proceſſibus, oblique ſurſum,ad laterales ſui lateris proceſſus omnium ceruicis uertebrarum,ad primam uſq;.Quartus à radice ſpinæ ſeptimæ uertebræ thoracis et ſuperiorū ſuccedentium,ea regione qua inuicem articulantur. et ſpinis quinq; inferiorum uertebrarum ceruicis, donec ſurſum in ſpinam ſecundæ ualidæ ſe inſerat. Quintus tenuis ac latus,à ſuperiori & interna oſſis ilij regione,per interna lateralium proceſſuum uertebra-

rum lumborum, ad inferiorem partē totius coſtæ duodecimæ. Sextus ex ſpinis oſſis ſacri & uertebrarum lumborum ſurſum per reliquarum laterales proceſſus, quorum ſingulis ſui portionem inſerit, ad primam thoracis uertebram. Septimus, ab elatiori poſtica oſſis ſacri parte, ſub ſexto enarrato, ad undecimæ uertebræ thoracis ſpinam. Octauus à poſteriori regione undecimæ uertebræ thoracis, per ſpinæ reliquarum latera ad primam thoracis.

Cubiti articulum mouentes Muſculi.

Cubiti articulus extēſione et flexione præditus ē. Flectunt autem duo. Quorum primus ab eminentiori parte ceruicis ſcapulæ unū, à radice anciroidis proceſſus aliud ducit principiū, quæ infra humeri caput unita, carnoſum efficiunt muſculum, per humeri anteriora, ad ſuperius caput Radij, Alter ab externo & interno latere mediæ longitudinis humeri, deorſum latus, per anteriorem partem articuli cubiti, ulnæ & radio ualidiſſimæ inſeritur. Horum fines ſe inuicem ſecant. Extendunt autem adhuc duo, quorum primus ab humiliori coſta ſcapulæ paululum infra eius ceruicem, per poſteriora humeri, ad internum latus poſte

rioris processus ulnæ. Alter à posteriori sede ceruicis humeri, per eius interna, ad interna posterioris processus cubiti.

Digitos flectentes.

Manus cum sit organum ante omnia organa, cuius ope quiduis apprehendere possumus, apprehensorium instrumentum dicitur decuit primo uniuersam uarie articulari, ut uarios etiam motus perficere possit, quo fit ut humeri articulus ad omnes partes moueatur. Cubiti autem ut ualidior esset, flecti & extendi tantum potuit, Carpi articulus flecti extendi, & circumduci, Extrema manus in pronum & supinum agi. Prona est manus cum interna uola terram spectat. Supina autem cum cœlum. Vt autem commodius magna, parua, oblonga, sphærica & alia figurarum genera apprehendere posset, non fuit solida ut solidipedum, nec bifida ut bisulcorum animalium, sed quinq; digitis constitit, eodem ordine digestis, quibus unus opponitur, singulorum robustior, ualidior, ac crassior. Digitorum quelibet tribus constare ossibus supra diximus ut flecti & extendi, abduci insuper & ad alios adduci facilè possent. ne autem nerui ac

tendines internam digitorum partem occupantes, à duris apprehensi ledi possent, uel ea quæ apprehenduntur mollia ac sensilia digitorum duritie uitiari contingeret, uniuersa illa regio carne quad.tm munita est neruosa, mediocriter dura ac densa.

Primus itaq; musculus in interna ulnæ regione occurrens est is, qui ab interiori tuberculo humeri enatus, per mediam interiorem ulnæ regionem gracils, ad uolam in tenuem membranam dilatatus, toti internæ manui extenditur, quo extrema manus minus uersatilis, exacte sensilis, & depilis esset. Hic in aliquibus cadaueribus desideratur, in his tamen ex ligamẽto internæ regionis carpi tendo ille exporrigitur. Digitos autem flectentium. Primus ab interiori tuberculo humeri totam internam ulnæ regionem occupans, in quatuor diuisus tendines, ad radicem secundi ossis cuiuslibet quatuor digitorum. Secundus ab eodem humeri tuberculo, sub primo, per totam internam ulnæ regionem, in quinq; tendines diuisus, unum ab eo latere per pollicis interna, ad radicem tertij ossis eiusdem. reliqui uerò quatuor per uolam, singuli ad singnlorum quatuor digitorum extremi ossis radtcem, per scissuras tendinum primi. mittuntur. Ex membrana quatuor dicti musculi tendinum, iuxta initium me-

tacarpij;

tacarpi, quatuor graciles musculi prodeunte ad interna latera quatuor digitorum, quos pollici adducere possunt. Sex inter metacarpij ossa secundum eorum longitudinem exporrecti & ad latera primarum ossium quatuor digitorum inserti, primos eorum articulos flectere pollici, adducere, & ab eo diducere possunt, pro agentium uarietate. Carnea moles, primo pollicis ossi præposita in octo musculos diduci potest. quorum quilibet, pro situs & fibrarum uarietate, uarie primum & secundum pollicis articulum, ad quos inseri cernuntur, ad reliquos digitos, & internam uolam, mouere possunt. Est & minimum digitum à reliquis abducens, ab externa brachialis sede ad externi latus primi ossis eiusdem. Indicem insuper pollici adducit musculus ex externa primi ossis pollicis sede ad internum latus, primi ossis indicis.

Extendentium autem primus, Ab exteriori tuberculo humeri, per ulnæ exteriora in quatuor diuisus tẽdines, ad quatuor digitorum omnes os, articuli parte exteriori, attensos. Poteris autem eum, qui ad minimum tendit, ex peculiari musculo numerare, cum aliunde oriatur, & propriam habeat circumscriptionem. Alter ab exteriori & interna sede ulnæ, ullra eius dimidium, oblique per radij posteriora conscendens, inte

riorem tendinem per pollicis exteriora ad extremum usq; eius os. qui pollicem extendendo uersus exteriora a reliquos adducit. Exterior autem tendo in duos inuicem coherentes diuisus, per metacarpium ad radicē primi ossis indicis, uersus exteriora connectitur, ut hunc uersus exteriora extendat. Hic quandoq; ad anularem & minimum portiones mittit. Nec alius deest qui ex ulnæ posteriori regione, paululum supra nuper enarrati exortum. obliquiori ductu radium conscendens in tres diuiditur tendines quorum unus brachiali ossi inseritur, cui pollex articulatur. Secundus externæ parti radicis primi ossis pollicis. Tertius ad reliqua pollicis ossa. quorum munere fit, ut pollex quam maxime ab indice abscedat.

Carpi articulum mouentes.

Carpi articulus extendi, flecti, ad latera moueri & circumduci uoluit. Flectunt autem duo, quorum primus ab interiori tuberculo humeri, per interna cubiti, ad internam sedem brachialis minimo digito respondentem. Secundus ab eodem interiori tuberculo humeri, per interna ulnæ, obliquo ductu, ad postbrachiale os indici præpositum.

Extendunt autem & duo, ex quibus primus, à radice exterioris tuberculi humeri, per externa cubiti ad postbrachialis os quod minimum sustinet. Alter ab ea humeri regione, quæ supra exterius tuberculum uisitur, per exteriora radij, & priusq; carpi articulum contingat, in duos diremptus tendines, ad postbrachialis ossa, quæ indicem & medium sustinent. ab his etiam fit motus ad latera, & circumductio.

Pronam ac Supinam reddentes manũ.

Extremam manum pronam reddunt duo musculi, quorum Primus ab interno latere ulnæ, anteq; ad carpi articulum accedat, oblique ad internam regionem radij. Secundus ex radice tuberculi interioris humeri, & exteriori latere ulnæ, per interna oblique, ad internam sedem radij. Ex duobus qui supinam reddunt. Primus ab externa humeri regione per radij longitudinem exporrectus, ad eiusdem externam sedem propè carpi articulum. Alter ab externa superiori cubiti regione, qua cum humero articulatur, oblique ad externam radij regionem paulò infra articulum cubiti.

Penis Musculi.

Duo urinarium meatum dilatantes, quò semem liberius per eius flexionem transeat. ab anteriori parte musculi Ani explantati. ad urinarium meatum. Duo autem uoluntariam erectionem efficientes, ab inferiori regione ossium pubis, quà inuicem committuntur, exigui ad laterales partes radicis penis.

Vessicæ Ceruicis Musculis.

Ceruix Vessicæ exiguo musculo orbiculariter astringitur, inter glandosum prostrata et urinarij meatus reflexum. in mulieribus autem occupat totum urinarium meatum. Hoc agente detinetur urina laxato uerò mittitur. Vrinarius etiam meatus (ut diximus) musculi munere fungitur cum carnosis nasis donetur transuersis fibris, ex nostro arbitrio contenta expellit.

Vteri Musculi.

Membranea ac laxa uteri ligamenta carneis fibris donari ac propterea musculorum munere, utcũq;, fungi dicebamus, si. n. ambo contrahantur rectè sur

ſum, ſin alter tantum, uerſus ſuum latus Vterus trahetur.

Teſtium Muſculi.

Erithroidem ſeu Vaginalem teſtium tunicam carneas fibras aſſumere, muſculorumq; uicem ſubire, ſupra iam retulimus, teſtes ſurſum quoquomodo trahentes.

Recti inteſtini Muſculi,

Recti inteſtini extremum in podicem deſinens, muſculo donatur tranſuerſim ambiente, tenui quidem tribus tamen digitis lato. Hic Spinctir Græcis, Latinis Conſtructorius dicitur, cuius munus eſt Anum cōſtringere, ne inuoluntarie ſtercus egeratur. Duo item ab internis lateribus oſſis ſacri & coxendicis, tenues, utcumq; lati, ad latera recti inteſtini ſeu ſuperiorem partem muſculi conſtrictorij, ij ſedem uniuerſam ſurſum trahere poſſunt.

Tibiam mouentes Muſculi.

Tibia qrà. cum femore articulatur flecti tantum & extendi conſpicitur, busq̃; autem oblique ſurſum ad latera mouetur, niſi motu iſchij. Primus itaq; ex

extendentium numero est, oritur autem ex spina ossis ilij, latus, ac nerueus, paulòpost in latum et exactè mẽbraneum tendinem cessans. Anteriorem, externam, et posteriorem sedem musculorum femur occupantium amplexatur, donec per patellam & genu articulum, ad superiores tibiæ & suræ anteriores partes inseratur.

Secundus inter flectentes numerandus, ab anteriori sede ossis ilij per internam femoris regionem, obliquo ductu, ad tibiæ ceruicis anteriora.

Tertius flexioni etiam opitulatur, ex anteriori regione ossis pubis, per femoris interna, ad anteriora ceruicis tibiæ.

Quartus ex flectentibus & ipse, ex elatiori sede coxendicis, per femoris posteriora, & interiora genu, ad anteriora ceruicis tibiæ.

Quintus & ipse flectit, ex coxendicis appendice, per femoris posteriora, liuido sinu insignitus, ad interiora genu contendens, ad anteriora ceruicis tibiæ.

Sextus ex flectentium est numero, à coxendicis appendice, per femoris posteriora, & exteriora genu, ad superiorem appendicem fibulæ, hic alio augetur principio, ex inferna posteriori femoris regione.

Septimus extendentium & ipse, ab anteriori tu-

berculo oſſis ilij, per anteriora femoris, ad patellã.

Octauus etiam extendit, ab exteriori parte femoris, paulò infra magnum eius proceſſum, per exteriora, ad patellam.

Nonus adhuc extendẽs, ex ſuperiori femoris parte in orbem ferè totum amplectens per anteriora ad genu uſq; delatus, cum primò ſeptimo & octauo ualidum conſtituit tendinem, ad patellam, & inde ad anteriora ceruicis tibiæ inſeritur.

Decimus in poplite latens, qui etiam flectere poteſt, à ſuperiori & externa regione, exterioris capitis inferiorum femoris, oblique deorſum, ad internam ceruicis tibiæ regionem.

Iſchij articulum Mouentes.

Primus ex poſteriori parte oſſis ilij, oſſe ſacro, & coccige, magnus ac carneus ſed breuis, ad exteriorem partem magni proceſſus femoris, natem efformans.

Secundus ex anteriori partæ ſpinæ oſſis ilij, primo magna ex parte ſubſtratus, oblique deorſum, ad magnum proceſſum femoris.

Tertius ſecundo minor, & ſub eodem latens, oblique ad anteriora dicti magni proceſſus.

Quartus ex lateralibus proceſſibus inferiorũ uertebrarũ oſſis ſacri, ad poſteriora magni proceſſus.

Quintus à Coxendicis appendice ad pubis ossium commissuram principium ducens, cuius pars posterior ab esse pubis orta in magnum ac crassum musculum euadens, inde iterum gracilescens tendinem efformat, ad internum femoris caput insertum. anterior uerò pars quæ ab appendice oritur, ad posteriora femoris contendens, ei secundum totam longitudinem ad inferiora usq; connectitur. posteriore musculi parte semper connexa. quo fit ut unicus musculus censeri potius quam plures debeat.

Sextus à latere corporis undecimæ uertebrarum thoracis per internam lumbi regionem & interiora femoris ad minorem femoris processum, Psoa appellatus.

Septimus ex tota interiori regione ossis ilij, paulatim arctior redditus, deorsum ad femoris posteriora, ac minorem eius processum.

Octauus à tota protuberante parte ossis pubis à coxendice ad ossium pubis commissuram latam ducit originem, deorsum ad femur, è regione parui processus.

Nonus ex anteriori parte ossis pubis, magnum eius foramen extrinsecus integens. ransuerso ducta, ad internam sedem magni processus femoris.

Decimus ex interna ossis ilij regione, quæ coxendici respondet lata origine, oblique ad posteriora gracilior redditus in tres tendines dirimitur, donec per coxendicis ossis inferunt sinum elapsi iterum cerniuntur, ac carneum musculum efforment, transuerso ductu, in tennem tendinem desinens, ac duobus alijs ueluti musculis comitatus, ad sinum magni processus, comites autem musculi oriuntur, unus ab acuto processu ossis coxendicis, alter ab eiusdem appendice.

Pedis Articulum mouentes.

Primus ex radice interni capitis femoris, per tibiæ posteriora ad calcem.

Secundus ab externo capite femoris, cum primo coalescens, ad calcis posteriora.

Tertius, à superiori parte externi capitis femoris, exiguus, carneo principio, statim in tenuem tendinem degenerans, oblique deorsum uersus interna, ad calcem coutendit ibiq; latescens & bifidus factus interior portio ad interiora, externa ad externam calcis regionem accedens, cum ligamentis ea regione copiosis admiscentur. unde membraneum ligamenlum plantæ subtensum oritur.

Quartus paulò infra genu, ex posteriori parte qua tibia cum sura connectitur, omnium maximus, ad calcis posteriora,

Quintus ex posteriori parte tibiæ & fibulæ, quà dehiscere incipiunt, deorsum per posteriora ligamenti quod tibiam cum fibula connectit, toto ductu fibulæ carneis fibris connexus, per posteriora interioris malleoli, oblique ad tarsi internam, ossi adnectitur cubiformi proximo.

Sextus ab externo latere superioris appendicis fibulæ, deorsum per tibiæ anteriora, oblique ad pedis internam sedem, pedij ossi adnectitur pollici respōdenti,

Septimus ab externo latere appendicis fibulæ, deorsum ad posteriora externi malleoli, indeq; per cauitatem in extrema tarsi regione sibi insculptam, ad uestigium reflexus, infernæ parti ossis plantæ pollicem sustinenti inseritur, & quandoq; ossibus quæ indici aut medio respondent. huius tendo dum in externa tarsi regione flectitur, in ossis naturam degenerauit, ne à uicinis ossibus atteri posset.

Octauus ab externo latere fibulæ, sub superiori eius appendice, sub septimo deorsum fibulæ attensus, ad externi malleoli posteriora contendit. inde ad anteriora descendens, in id pedis os inseritur quod mini

mum digitum sustinet.

Nonus exterior, portio musculi in anteriori tibiæ sede locati, qui quatuor pedis digitos extendit, per anteriora malleoli externi, processui ossis pedis minimũ digitum sustinentis inseritur.

Ex dictis musculis primus, secundus, quartus & quintus, ac septimus si simul agant, ualidissimũ pedis motum efficiunt, extensionem scilicet. solus autem septimus extendere quidem potest, oblique tamen ad externa, ut magnus digitus deorsum minimus sursum ferri uideantur, Quintus uerò solus opposito motu extendit. At Tertius, cum Gal. membranosum tendinẽ plantæ subtensum efformare asserimus. Tres reliqui si simul agant rectè flectent, singuli autem oblique.

Pedis digitos mouentes,

Primus ab inferna calcis sede, per infernam regionem plantæ in quatuor tendines diuisus, ad secunda internodia quatuor digitorum.

Secundus, à posteriori sede superioris tibiæ & fibulæ connexus, per posteriora tibiæ, & interna calcis, ad pedis uestigiũ, et inde pars maior ad inferna extremi ossis pollicis, ut idem flectat. reliquũ ad augendos tendines tertiũ articulũ indicis & medij flectentes.

Tertius ſub ſecundo, tibiæ adhærens cum ſecundo ad ueſtigium delatus, in quatuor tendines diuiſus, ad tertium quatuor digitorum articulum, per primorũ ſciſſiones (ut in manu) feruntur.

Quartus ab interna ſede calcis, in quatuor partes diuiſus, ad interna latera primorum oſſium quatuor digitorum, quos pollici adducit.

Quintus carnea moles, à calce, ad quatuor digitorum primos articulos flectendos.

Sextus ab externa regione calcis, ad externum minimi digiti latum, ipſum à reliquis abducens.

Septimus ab internis calcis, per tarſi & plantæ interna, ad internum latus pollicis, à reliquis abducens.

Octauus ab exteriori & ſuperna tibiæ parte, deorſum ad pedis anteriora, quatuor in quos diuiditur tendines, ad quatuor digitorum ſuperiora & extrema oſſa inſerit, ad eorum extenſionem, cum pollice peculiaris.

Nonus extendat octauo ſubiectus, & ad extremam eius oſſa connexum.

Decimus ab externo & superiori tali latere, in quatuor diuisus tendines, oblique introrsum, ad quatuor digitorum radices. eos à pollice abducens.

Hæc de Musculis.

Anatomicarum Introductionũ Franc: Antonij Catti.

τέλος.

LAVS DEO.

INDEX RERVM, QVAE IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

ERRATA SIC CORRIGAS

Cum adeo sim in ægris curandis domesticisq; negocijs occupatus, non licuit semper tipographo adesse non igitur mirum si nostrum hoc innumeris scatet erroribus. quorum maiora, & quæ literæ sensum uitiare aut difficiliorem reddere poterant hic annotare libuit. his interim prætermissis quæ ad diphtongos, comarum, punctorũq; differentias attinent. Mitto insuper uerbum & ab eo composita per: Et scripta reperies cum per duplex tt scribi debuisset. indicat autem primus numerus paginam, secundus uersum.

1 uersi.13.quædam
4 uersi.6.Amigdalæ.
9 1 Nympha
2 Hymenæus
7 24 huius
9 3 Explantatio
10 20 commodam
ii 2 enarratione
4.&.5.Symphsis
i4 in figura.nullus adest motus, huius differentiæ.
& infra, duro aliquo interueniente, ut cartilagine
i5 22 græcæ literæ
i6 i7 pericranij &

20 Exhalent
i7 i crassissimum
xViii i4 Alueolos
24 insinuat
i9 9 tribus
20 1 parte, &
4 maius, &
i5 Spinam
22 i5 cartilagine
23 7 Scoptula
23 10 Acromion, &
i5 Ancyroides, &
23 orbitæ
25 5 Gal.
27 i Quorum
xxViii 24 attritu

29 ii Epiglottis &
i6 Lingula
3i 7 Pericrania Peri-
cardia, &
i3 Quarum
32 i5 Istmus
33 2 Callicreas
34 22 uidetur, & ibi-
dem, scholis
35 i9 fieret tum præci
cipue. 2i. nuper. 22. gustus
37 23 Substantiam
40 i4 referta
4i ii ac, & . i2. crassa.
42 9 sequuntur
43 3 Cæcum, & . i2.
fibræ
44 i4 concoquunt
45 i quibus
46 3 illesa: et. ii. quibus
46 Viii lactes
50 4 manus & . 9. lie-
nem, & . i0. conseruan-
dam, & . i5. spurijs, &
2i. lienem
5i i uisceri
52 7 lienem

53 i6 interna, & . xViij
surculi
54 i0 sedulo
55 3 non ducat & 4
unus, & . 7. reliquus
56 9 si ita se res hab
56 20 natiuum
57 2i aorta, & . 24.
stomachon
59 20 cauæ ueneæ
60 17 adhibere &
xViii. emulgentes
61 9 obliquo, & . 24.
annectitur
63 7 incohat, & . i4.
ceruicis i5. teste
67 7 fundi
7i 5 Embrionisq;
72 i5 haud, & . i7. ipse, & . i9. ruzosa
73 2 aut egredi
74 i2 alligatur
75 5 superficiei, & . 7
amiculum
77 i5 in gulæ initium
alioqui patens, & obui-
am pergens,

79 2i. oblonga scissura.
80 2 lingulis.
81 ii reliquum.2i.reli-
quum.
86 8 præbet &c.16.
morientibus &c .2i.spiri-
tuum.
87 3 possidet
88 i5 nutantes
89 9 continetur
90 1 admodum
9i 5 cordis,&c.10. pos
sint,&c.i6 quandam
93 8 hac,&c.9.secui
autem
94 14 ductum
95 7 uentriculum, &c
9,ut de actionibus quibus
dam quæ
97 1 redditur
98 9 abutitur
99 3 impletur
102 11 distare,&c.24.
diffluat
107 9 conspicimus
109 6 musculo,&c .16.
porrigitur

110 2 ramus,&c.i;.exo-
riens,&c.i6.ramulum
116 5 Nympham
118 i7 ad lienem
119 5 ingreditur
120 1 spirituum,&c.7
constringitur,&c.23. ex-
bibens.
122 18 thoracis
125 16 recti
127 23 pollicis infernæ
132 2 iugularis
134 12 ratiocinatricis
135 2 spinalis
137 16 crassam,&c. 18.
colores,&c.2i pro barba-
ro latinis lege Græcis
157 9 Finis,&c. 1. con-
creuit.
162 14 moueri
164 2 indiguit
165 24 regioni
166 9 triangulus
176 5 neruosa
177 1 metacarpij, &c.
4.primorum,&c.5.polli-
ci addu.&c.11.externum,

17. omnes articulos parte exteriori attensos, & .23. ultra

178 23 ulnæ

180 10 musculi, & .14. urina, laxato, & .20. dele, nasis

181 7 trahentium, & .14. Sphincter, & .15. constrictorius, & .22. qua, & 23. nusquam

184 3 osse, & .23. transuerso

185 4 infernum & ibidem, uniuntur, & .18. femoris

186 8 adnectitur

Paginarum numerus uitiatus & .11. latus, & .17 & .18. & .19. sic continuandum. cum pollicé extendat Nonus octauo subiectus, & ad extremum eius os connexus.

FINIS.

REGISTRVM

ABCDEFGHIKLMNO

Turonensis

Amarillidis

Amarillidis

pulcher propter



